Alte Bibl.
53

orōnē meā cū deprecor a
ore īnimici eripe aīam meā.
eus qui nos bti Coll'.
georgij mr̄is tui me
s et intercessione letifi
: concede ꝓpicius. ut qui
s bn̄ficia poscimus. do
ut tue gr̄e consequamur. P.
Ella. Iustus cor suum. g.
Alla b iustus ut palma flo

INFERNVS DAMNATORVM. CARCER & ROGVS ÆTERNITATIS

PARS SECVNDA.

Auctore

R. P. HIEREMIA DREXELIO
Societatis Iesu.

Permissu Superiorum.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Petri Henningij.
ANNO M. DC. XXXI.

ILLVSTR^mo. ET REV^mo.

DOMINO,

D. PETRO ALOYSIO CARAFA,

Ex Ducibus Nuceriæ:

EPISCOPO TRICARIENSI,

Nuntio Apostolico

Ad Tractum Rheni, & partes Inferioris Germaniæ,

Cum potestate Legati à Latere; Domino meo obseruandissimo.

NObilis ab Italia pictor Michael Angelus, supremum Orbis iudicium, & inferorum flammas pinxerat. Eam picturam Iulio II. Summo Pontifici consecrauit. Idem ego tentaui, sed calamo

mo, non penicillo. Flammeum Æternitatis carcerem depinxi. Quicquid hoc operis est, Tuo, Ill^me. ac Reu^me. Præsul, nomini iure merito inscripsi. Vt auderem, multa me impellebant.

Illustrissimam Carafarũ familiam specto? Equo Troiano illam non malè contulerim, è qua tot viri principes, non in exitiũ Troiæ, sed in Orbis bonum progressi sunt. E Tua familia, Præsul Reu^me. Pontifex Maximus, Paulus IV. Ex eadem quatuor Patriarchæ; octo Archiepiscopi Neapolitani; longè plures Episcopi; sedecim purpurati senatores Cardinales prodierunt. Hinc amplissima Carafensis prosapia purpurę splendorem adeò sibi iam familiarem habet, vt ea vna pænè Curiam è purpuratis Patribus & supremum Ecclesiæ senatum, sed & amplissimam tot Princi-

Principum, Ducum, Marchionũ, Comitum coronam conſtituere poſſit. Nolo plura de familia. Vereor illius laudes ingenij culpa deterere. Et ſcio hæc ornamenta à Te non inter prima numerari.

Maiora cerno, Studia Tua cum pietate coniuncta. In gymnaſijs & Academijs Societatis noſtræ tam Neapoli quàm Romæ ſic educatũ Te nouimus, vt ſimul etiam præclariſſima pietatis fundamenta ieceris. Nam ſodalitates, in quibus cẽſebaris, eo ardore tot annis frequentaſti, ijs decoraſti exemplis, vt à ſancta cõſuetudine, quam iuuenis adſciuiſti, nihil diuerſi exhibuerit virilis ætas. Nam etſi iam Principatus Firmani, & Firmanæ Vrbis Præfectum ageres, nihilominus Te ſodalitati præſentem ſiſtere, è ſodalitatis legibus viuere, Tui eſſe officij cenſebas. Quod

vtinam vellent non neſcire Celſitudine Tua longè inferiores, qui ſodalis officio egregiè ſatisfactum putant, ſi cætus Parthenios ornēt ſolo nomine.

Studia porrò & litteras, Ill^me. & Reu^me. Antiſtes, ea ingenij felicitate, illa induſtriæ laude tractaſti, vt maximos tam in Philoſophia quàm Theologia progreſſus feceris. Quod manus. Non immeritò in Te geminum iſtud miramur, tā exactam politioris litteraturę, quā vtriuſq; Pontificij & Cæſarei Iuris peritiam. Neque in vmbra eruditio Tua latuit. In ſolem & puluerē progreſſa eſt. Nota loquor. In ijs omnibus, quas dixi, tam Philoſophiæ, quàm Iuris, ac Theologiæ ſcientijs, illuſtre ſpecimen ſæpius dediſti. Pro teſtimonio dicunt tot concertationes ac congreſſus publici, in quibus eruditio Tua doctiſſimo

&iſſimo cuiq; inſigniter ſeſe probauit.

Inde fuit vt ampliſſima munia Te ambirent, non Tu illa. Prolegatus Ferrariæ, Vrbis Firmanæ, & eiuſdē Principatus Præfectus annis compluribus, eum te præbuiſti, vt iam ſeptennio ampliſſima Summi Pontificis Legatione fungaris, magno Religionis incremēto. Non enim ab vlla parte curæ aut laboris quidquam remittis, iā omni Leodienſium terra ad res componendas obita.

Sed propria me vocant, & magis domeſtica. Minimam Societatem noſtram, Ill^me. Domine, tanto hactenus tamque conſtanti affectu proſecutus es vbiuis locorum, vt ea Te inter patronos primos rectè numeret. Ex ore noſtri admodum Reuerendi Patris Generalis mihi videor loqui. Et ſcimus

Te religioſiſſimè gloriari ſolitum, diem feſtum ſancti Ignatij Loiolæ Tuum eſſe Natalem. Eò vſq; certè Tuus in nos amor progreditur, vt Te pænè vnum ex nobis gratulemur.

Neque verò Tua in nos, Præſul Ampliſſime, Tuorumque beneuolentia ſterilis fuit, aut ſola verborum munificentia ſtetit. Collegium Neapolitanum Tuæ familiæ liberaliſſimis impenſis conditum, & amplè cõſtitutum eſt. Sed recentius tacere nefas. Ante annos ſeptem Excellẽtiſſimus Princeps Tiberius Carafa, germanus frater Tuus, vnus inter Hiſpaniæ Magnates, & Aurei Velleris Eques, Societati ad extruendum ac dotandum Collegium pares ſumptus benefica manu ſuppeditauit. Quam piam beneficentiam omnes ac ſinguli Societatis noſtræ Sacer-

Sacerdotes triplici ſacrificio ex more remunerare conati ſunt: idem obſequij genus præſtituri defuncto huic principi.

Verùm, quòd hãc potiſſimùm ſcriptionem, ad Te iubet excurrere, Virtus Tua eſt. Non blandiar Tuis auribus. Neque enim mihi hic mos eſt, malo veris offendere. Eximiam pietatem, & integritatẽ vitæ publica in Te Fama veneratur. Hic mihi ſeges ſuppetit, vnde poſſim in Tua Celſitudine laudare caſtum corpus, ſobriam mẽſam, puram mentem. Sed parco modeſtiæ ac ſubmiſſioni Tuæ, quam ſignatis tabulis comprobare eſt. Iã enim non vnas à Celſitudine Tua litteras accepi, non humanitate ſolũ ac beneuolẽtia, ſed reuera ſubmiſſione plenas. Liberè dico. Submiſſio in tanto apice, omnes facilè virtutes ſibi iungit.

Quando igitur iam facillimũ eſt coniectare, quàm vigilanter cum Hebræo rege annos æternos in mente habeas, *a.* idcirco hanc ſcriptionẽ de Æternitatis æſtuarijs viſum eſt Celſitudini Tuæ cõſecrare, vt ea famam & lucẽ huic ſcripto circumdet.

Germania noſtra iam ab annis aliquot faciem inferorum induit, varijs bellorum ignibus calamitoſa. Italia imitatur, & eundẽ præfert vultum flammis bellicis exæſtuans. Bellum optimè deſcripſerit, qui veram inferorum effigiem appellarit. Ergo tempori nil aduerſum ago, cũ de inferis loquor. Præforibus, imò & in ædibus noſtris ſpectamus inferos. Solatio eſt, has bellicas flammas non fore æternas. Hic enim pauca diuturna, nil perpetuum.

Deinde hanc ſcriptionem de

a. *Pſal.76.v.6.*

Dei

Deiin perduelles Iustitia nemini putem rectius dedicauero, quàm amanti iustitiam. Non timendum in Tuo tribunali, Reu^me. Antistes, ne aut causæ fiant perpetuæ, aut gratia vim æqui habeat, aut culpa redimatur auro. Etenim cùm illã diuini furoris officinam tacitis cogitationibus contemplaris, nihil ambigo, quin Ferdinandi Cæsaris vocem vsurpes: *Fiat iustitia, aut pereat Mundus.* Seria spectaci Auernalis contemplatio, notitiam diuinæ iustitiæ necessariò coniunctam habet.

Memorabile prorsus est, quod de Vandalorum rege Canuto referunt. *a.* Hic æqui amantissimus supplicia repræsentabat omnibus indistinctè nocentibus. Non fauor, non amicitia, non affinitas delicto patrocinari poterant. Quod vel inde constet. Cùm la-

a. *Krantzius l. 3. Vandalia. c. 3. circa medium.*

trocinantes capite damnati iam ducendi essent, vnus aliquis è medio damnatorum grege proclamauit, se Canuti regis cognatum, iure sanguinis impunitatem & vitam poscere. His auditis rex nihil turbatus: *Cognato*, inquit, *nostro vt honoratior sit locus, sublimiorē crucem ponite.* Beati cælites non tantùm non cognatorum, sed nec parētum sempiternis supplicijs ad vllam miserationem flectentur. Imò verò Lætabuntur iusti cùm viderint vindictam; manus suas lauabunt in sanguine peccatorum. *a.*

Te animo sæpius, Præsul Ill^me^, inter cælites versari, insignis Tua pietas, & mores Tui satis testātur. Nec dubitem, quin è cælo in Æternitatis carceres despiciens illud Imperatoris mente agites: *Salue sancta Iustitia.* Non terret eos gehenna, quos vera in DEVM fiducia,

a. *Psal.* 57. *vers.* 11.

ducia, & tranquilla cõſcientia ſolatur & erigit. Qui rogos infernales metuit, illius gratiam ambiat, qui habet claues mortis & inferni. *a.*

Hic aliam expono cauſam, quę me impulit, vt hanc abyſſi flammeæ picturam Tuæ Celſitudini offerrem. Cæleſtium arcanorum conſcius Ioannes: Vidi, ait, Angelum deſcendentem de cælo, habentem clauem abyſſi. *b.* Supremum Eccleſiæ caput, ſummi Iudicis Vicarius in Germaniam Te miſit, Legate digniſſime, neque *Soluendi* tantùm, ſed & *Ligandi* poteſtatem tradidit, eaque ratione abyſſi clauem commiſit. Hinc Te ſuum Germania veneratur Angelum, habentem clauem abyſſi. En Igitur hic prouinciæ, ad quam Tibi tanquã Angelo commiſſa clauis, compendioſam imaginem.

a. *Apoc. c. 1. v. 19.* b. *Apoc. c. 20. v. 1.*

trocinantes capite damnati iam ducendi essent, vnus aliquis è medio damnatorum grege proclamauit, se Canuti regis cognatum, iure sanguinis impunitatem & vitam poscere. His auditis rex nihil turbatus: *Cognato*, inquit, *nostro vt honoratior sit locus, sublimiorē crucem ponite.* Beati cælites non tantùm non cognatorum, sed nec parētum sempiternis supplicijs ad vllam miserationem flectentur. Imò verò Lætabuntur iusti cùm viderint vindictam; manus suas lauabunt in sanguine peccatorum. *a.*

Te animo sæpius, Præsul Ill^me. inter cælites versari, insignis Tua pietas, & mores Tui satis testātur. Nec dubitem, quin è cælo in Æternitatis carceres despiciens illud Imperatoris mente agites: *Salue sancta Iustitia.* Non terret eos gehenna, quos vera in DEVM fiducia,

a. *Psal.* 57. *vers.* 11.

ducia, & tranquilla cõscientia ſolatur & erigit. Qui rogos infernales metuit, illius gratiam ambiat, qui habet claues mortis & inferni. *a.*

Hic aliam expono cauſam, quę me impulit, vt hanc abyſſi flammeæ picturam Tuæ Celſitudini offerrem. Cæleſtium arcanorum conſcius Ioannes: Vidi, ait, Angelum deſcendentem de cælo, habentem clauem abyſſi. *b.* Supremum Eccleſiæ caput, ſummi Iudicis Vicarius in Germaniam Te miſit, Legate digniſſime, neque *Soluendi* tantùm, ſed & *Ligandi* poteſtatem tradidit, eaque ratione abyſſi clauem commiſit. Hinc Te ſuum Germania veneratur Angelum, habentem clauem abyſſi. En Igitur hic prouinciæ, ad quam Tibi tanquã Angelo commiſſa clauis, compendioſam imaginem.

a. *Apoc. c. 1. v. 19.* b. *Apoc. c. 20. v. 1.*

Mos fuit priſcis Romanis vt prouincias deuictas quantumuis barbaras in titulos ſuos referrent. Inde Duces & Imperatores Dacici, Getulici, Scythici appellati. Enimuerò nulla vnquam Arabia tam fuit inculta, nulla Scythia tã barbara, quàm Luciferi regnum eſt, Vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. a. Ab hac incultiſſima & nimis quàm barbara Scythia vel oppugnata vel ſubiugata heroi Chriſtiano ſpecioſiſſimus titulus accedit, nominari *Scythicum*. Quicunque autem hanc Scythiam nõ vi vana impugnare cogitat, regionis illius diuerſa loca ſæpius conſideret neceſſe eſt. Eam etiam ob cauſam Scythici iſtius regni ſitum & incolas omnibus inſpiciendos propono. Sapientiſſimorum conſilio rectiſſimè facit, qui viuus

a. *Iob c. 10. v. 22.*

ſubit

ſubit inferos, ne ſubeat mortuus.

Sapiens olim Demonax ſtultè prorſus reſpondit. Interrogatus namque, qualis nam eſſet inferorum conditio? Expecta ſis, aiebat, ſimul atque illuc venero, per litteras tibi omnia ſignificabo.

O Demonax, ô rudes & improbi Chriſtiani, ſerum nimis eſt eò mortuum deſcendere. Nemo illuc explorator admittitur, niſi vivus. Quiſquis mortuorum illætabiles hos receſſus ingreditur, egreſſum perdidit; iam captus eſt, in carcere eſt, & quidem æterno.

De viuo Tartaro longè veriſſimum, quod de picto Iulius II. Pōtifex ſummus a. dixit: In inferno nulla eſt redemptio. Ibi dentium fremitus perennat, illic ignis ęternùm coquitur. Sed ille ignis, ô DEVS, ignis ſapiens eſt, qui damnatorum ſingulos inæqualiter, prout

a. *Cuius principio meminimus.*

prout promeriti, torquet, qui mẽbra vrit & reficit; carpit & nutrit: ſicut ignes fulminum corpora tãgunt, nec abſumunt: ſicut ignes Veſuuij ac Ætnæ montium dies noctesque viuunt, nec deficiunt; ita illud Auernale incendium cruciatibus reorum paſcitur, & torquendo noxios nutritur. Hũc ego ignem ſapientiſſimũ in charta depingere conatus ſum.

Non hic Siculi aut Campani montis miſſiles flammas, nõ Trophonij ſpecum, non Pythagoræ de Orco ſomnia, non Maronis de aula Ditis carmina deſcribo; hic flammeos, æternos carceres ſub oculis pono, ſuccincta ſcriptione. Et hanc Tibi, Illuſtriſſime ac Reuerendiſſime Præſul, velut Angelo Germaniæ venerabundus, vt picturam dico ac conſecro, & vnà rogo, vt Celſitudo Tua

do Tua Societatem noſtram omnem quo hactenus affectu complexa eſt, fouere non deſinat. Monachij die S. Michaelis Archangeli, Anno Chriſtiano 1630.

Illmæ. & Reumæ.
Celſitudinis Tuæ

Seruus in Chriſto
ſubmiſſiſſimus

HIEREMIAS DREXELIVS
è Societate IESV.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO.

AD inferos te duco, mi Lector, & AEternitatem multo luctuosissimam aperio spectandã. Obsecro, patientes huc oculos aduerte. Ad superos breui te reducam (ita mecũ bene spera) & monstrabo etiam cælum. Libellum hunc studio breuiorem scripsi, & omnes inferorum cruciatus ad nouem supplicia redegi, prolixiùs in cælo moraturus, Modò iam discamus pericula vicina nosse, quæ facilè cauet, qui præuidet.

Non parum interest è terra spectes naufragium, an iacteris ipse in eadem naui. Naufragium passi sunt, & irreparabile, quotquot ad Orcum præcipitati sunt; nec in portũ vnquam peruenient. AEternitatis igneum mare, carcer æternus hos naufragos iam sepeliuit. Nec finis naufragiorum. Innumeri panè diebus singulis huc eiiciũtur fracta nauis. Nos etiamnũ extra hoc mare sumus, naufragorũ spectatores. Nunc alienis malis licet sapere, & cauere inferorum profundissimam charybdim, æternum carcerẽ.

Iucundum esse censuit Callimachus:

Neptu-

Neptunum procul à terrâ ſpectare furentem. *a.*

Nobis vtiliſſimum erit, flammeum damnatorum pelagus ita iam contemplari, vt illud velis remiſque fugiamus. Sapienter dixit Publius Syrus: Improbè ab eo accuſari mare, qui alterum fecerit naufragium.

Et nobis forſitan, mi Lector, iam ſæpius nauis fracta eſt, vt pro ſe quiſq; fateri debeat: Niſi quia Dominus adiuuit me, paulò minus habitaſſet in inferno anima mea. b. *Iſtud maturè cogitemus & tempori. Naufragium minatur vltimum, iis maximè, qui priora cõtempſerint. Inferos nemo meliùs cauet, quã qui ſæpius cogitat. Hoc iſta ſcriptio agit, & Nouiſſima præuidere ſubmonet. Pauculis annis eſſe miſerum, facilis iactura eſt, & ſæpe principium ſalutis. Tu, ſi quid curas, hoc vnum cura, Ne æternum ſis miſer. Ego hic, quod veteres in conſolatione dicebant, rectè vſurpem:* Vellem vt velles, *mi optime Lector, hæc non legere ſolum, ſed & expendere. Hic ſeriò agitur, & de capite. Quod olim Auguſtino Angelus, idem ego tibi ſuccla-mo: Tolle, lege, expende.*

a. Horatius epiſt. l. 1. ep. 11. ad Bullatium.
b. Pſal. 93. verſ. 17.

INDI-

INDICVLVS CAPITVM.

CAPVT I. Quò liber hic collineet: & instructio Lectori.

CAPVT II. Primum Æternitatis Tartareæ tormentum, TENEBRÆ.

CAPVT III. Alterum Æternitatis Tartareæ tormentum, FLETVS.

CAPVT IV. Tertium Æternitatis Tartareæ tormentum, FAMES ET SITIS.

CAPVT V. Quartum Æternitatis Tartareæ tormentum, FOETOR.

CAPVT VI. Quintum Æternitatis Tartareæ tormentum, IGNIS.

CAPVT VII. Sextum Æternitatis Tartareæ tormentum, VERMIS CONSCIENTIÆ.

CAPVT VIII. Septimum Æternitatis Tartareæ tormentum, LOCVS & SOCIETAS.

CAPVT IX. Octauum Æternitatis Tartareæ tormentũ, DESPERATIO.

CAPVT X. ÆTERNITAS piorum iuge suspirium.

CAP,

INDICVLVS.

CAPVT XI. ÆTERNITAS impiorum formidabile somnium.

CAPVT XII. ÆTERNITAS damnatorũ inexplicabile, ac Nonum supplicium.

CAPVT XIII. Conclusiones tres in præmissa capita.

CAPVT XIV. Quæ ligna, quodvé pabulum ignis sit æterni: Vbi de peccati mortiferi inexplicabili grauitate.

CAPVT XV. Cur vnica letalis noxa supplicio afficiatur æterno.

CAPVT XVI. Humanæ gentis cæcitas incredibilis, & horribilis stupor, tam in peccatis, quam in supplicijs peccato debitis expendendis.

CAPVT XVII. Compendium dictorum, &, Epilogus.

APPRO-

APPROBATIO
R. P.
PROVINCIALIS.

ALteram Æternitatis partem, quam P. Hieremias Drexelius de damnatorum carcere ac rogo conscripsit, quãque aliquot Societatis nostræ Theologi legerunt & probarunt, Ego Gualterus Mundbrot Societatis IESV per Germaniam Superiorem Præpositus Prouincialis, facta mihi potestate ab admodum R. P. N. Generali Mutio Vitelleſco, typis in lucẽ vulgari permitto: Eamque in rem subscribo & signo. Monachij 31. Iulij Anno 1630.

Gualterus Mundbrot.

INDI-

INDICVLVS LIBRORVM
R. P.
HIERÊMIÆ DREXELII
è Societate IESV.

1. DE Æternitate Considerationes nouem.
2. Zodiacvs Christianvs seu signa XII. diuinæ prædestinationis.
3. Horologivm Auxiliaris Tutelaris Angeli.
4. Nicetas seu Triumphata incontinentia.
5. Trismegistvs Christian. seu triplex cultus *Conscientiæ, Cœlitum, Corporis.*
6. Recta Intentio, omnium humanarum actionum *Amussis.*
7. Heliotropivm, seu Conformatio humanæ voluntatis cum diuina.

8. Æter-

8. ÆTERNITATIS PRODROMVS mortis Nuntius, quem sanis, ægrotis, moribundus sistit.

9. ORBIS PHAETON, siue de vniuersis vitijs linguæ.

10. GYMNASIVM PATIENTIÆ.

11. Præsens hoc Opusculum INFERNVS Damnatorum Carcer & Rogus.

Qui omnes tam Latinè quã Germanicè seorsim impressi sunt, & in Officina mea plerique omnes prostant.

DE

DE AETERNO DAMNATORVM CARCERE ET ROGO.

CAPVT I.

Quò liber hic collineet; & inſtructio Lectori.

ERuditè dixit Philo Iudæus: *Domus Dei, cogitatio ſapientis* a. Hanc domum æterna Sapientia ſubit, hanc habitat, in hac ſuauiter recumbit. Videre, loqui, audire, ſcribere, humanæ quidem actiones ſunt, non tamen animantibus brutis penitus negatæ. Audiunt & feræ, videntque, & eo quædam hominem vincunt. Iumenta quoque A memo-

a *Philo, lib. de Migratione Abraham, initio. Et l. de ſomnijs, poſt medium.*

memorantur locuta. Scriptioni simillimum quid, elephantis præsertim, tribuitur. Cogitare ac ratiocinari, solius hominis est. Puris ac sanctis hominum cogitationibus interest Deus, & velut suâ se domo continet. Atque hinc eruditum Philonis dictum: Domus Dei, cogitatio sapientis.

Quid porrò post hominis conditorem, dignissimũ sit ab homine cogitari, variè disceptari potest. Solymæus Rex David in disceptationis partem veniens: *Cogitaui*, ait, *dies antiquos, & annos æternos in mente habui*, b. Cogitatio prorsus vtilissima; digna homine, digna Deo. Amplissimum hic cogitandi stadium patet, quod nemo vnquam emensus est cogitando. Finis hic quæri potest, inueniri non potest. Æternitas finem nescit, terminos ignorat, metâ nullâ clauditur. Æternitas cogitari dignissima.

Æternitatem in se spectandam ante decennium proposuimus. Restat, Æternitatem tã beatorum, quàm damnatorum cogitandam demus. Cogitandam, aio,

b. *Psal 76. Vers. 6.*

aio, & alto pectore pertractandam. Parum est de illâ loqui, audire, scribere. Hęc superficiem radunt: penetrandum est altiùs, & intimis animi medullis reponenda æternitas. Proinde hoc quidem capite, vnum istud explicabimus; Quo isthæc de damnatorum æternitate scriptio collineet.

§. 1.

Romanus Sapiens amicè cum Lucilio suo expostulat, &: Quo modo molestus est, inquit, iucūdum somnium videnti, qui excitat: aufert enim voluptatem, etiamsi falsam, effectum tamen veræ habentem: sic epistola tua mihi fecit iniuriam. Reuocauit enim me cogitationi aptæ traditum, & iturum, si licuisset, vlterius. Iuuabat de Æternitate animarum quærere, imò me hercule credere. Credebam enim facilè opinionibus magnorum virorum. Dabam me spei tantę: iam eram fastidio mihi, iam reliquias ætatis infractæ contemnebam, *in immensum illud tēpus, & in possessionē omnis æui*, c. trāsiturus. Cùm subitò experrectus sum

c. *Æternitatis descriptio.*

epistolâ tuâ acceptâ, & tam bellum somnium perdidi. Quod repetam, si te dimisero, & redimam *d*.

Hîc ego pænè in eam sententiam descendo, quam mihi scriptor priscus suggerit Flauius Lucius Dexter Barcinonensis, Orientalis Imperij præfectus prętorio, *e*. & beato Hieronymo amicissimus, Chronicon litteris consignauit. In eo ad annum Seruatoris Christi sexagesimum quartum, de verbo hæc exprimit:

Lucius Annæus Seneca Cordubensis, Hispanus, missis vltro citroq; ad sanctum Paulum litteris, de Christianâ re bene sensit, factusque Christianus occultus, eius fuisse discipulus creditur; dulciterq; scribit ad Paulum in Hispania morantem, *f*.

Ego hic nihil affirmo, sed veteris chronographi testimonium veneror. Certè Anneus Seneca, Æternitatem non tantùm cogitare instituit, sed & credere.

Obser-

d Sen. epist. 102. *initio*. *e* Obrister Hoffmeister.

f Recens editum Lugduni hoc Chronicon Anno 1627.

Obseruemus viri solertiam. Æternitatē suis momentis ponderare ingressus est, idq; fecit attentissimè. Hanc enim contemplationem confert somnio, quod omnium exteriorum sensuum operosas vigilias sopit, & vigilare iubet interiores. Hoc meditari est. Et ægrè tulit Annæus hanc meditationem suam interpellari. Grandi enim emolumento hæc meditatus; Contemnebam, ait, quod reliquum est vitæ, & in illud sæculorum inexplicabile volumen memet extendebam.

Omnia iam ipsi Senecæ videbantur nauseanda, præ vnâ illâ interminati æui possessione. Quid nos Christiani? Si sic æternitatem meditantur gentilitatis tenebris oppressi? Æternitatē frustra credimus, si eā rarò aut frigidè cogitamus. Mille causis impellimur, vt Æternitatem assiduè meditemur. Sit hæc causa plurimarum loco. Æternitas durissima pectora, ipsos pænè silices ac chalybes mollit, omnem animi peruicaciam expugnat. Actum est de homine, quem Æternitas non trahit ad meliora. Eat, pereat, qui

tonitru hoc formidabilissimum, alto sopore mersus non audit.

Sed dicas: Incendia inferorum, ante oculos illorum statuenda sunt, qui ad inferos festinant. Quid eos his terreas, qui assiduè cælum suspirant; qui peccare omittunt, non formidine pœnæ sed Numinis amore. Quid hos iuuerit æternos ignes contemplari? Plurimum. Eamque ob caussam triplex hoc documentum statuimus, quò sæpius in hac scriptione respiciendum.

§. 2.

Primum: Ex hac inferorum contemplatione sanctissimis quibusque hominibus gaudium ingens nascitur. Dum enim spe certâ his sese incendijs subtractos cogitant, cor illis gaudio subsultat. Hinc gratiarum actio amantissima, hinc despicientiæ sui maxima, & diuinæ bonitatis amplissima deprædicatio. At quia etiam bonæ mentis homines errant & labuntur, mox cogitata recurrit Æternitas, & aurem peruellit: Attende tibi, nondum extra teli iactum es. Nescis enim, an ad vltimum vsque

que halitum perſeueraturus ſis. Meriſſima eſt gratia, perducta ad tumulum perſeuerantia. Nullis actionibus hanc gratiam emereri poſſumus, *g.* Deum hic debitorem appellare non licet. Nulli dat ſyngrapham. Neget tibi Deus perſeuerandi gratiam, & perijſti æternùm.

Hoc optimo cuique potens eſt frenum. Nec enim ignoramus fuiſſe qui quadraginta, quinquaginta & pluribus annis Deo ſeruierint; omnem denique priorem ſanctimoniam turpi epilogo corruperint, quemadmodum ille apud Caſſianum Hero. Hæc qui mente ſeriâ expẽdit, optimos quoſque affectus in ſe concitat.

Alterum: Vbicunque attenta Æternitatis meditatio præcedit, ibi non poteſt non ſequi ſtudium ingens, ardor animi, & mira in rebus gerendis omnibus accuratio. Hæc vna cogitatio præclarè docet, Deo vt ſupremo Domino omnia deberi; nec parem vnquam aut dignam hoc famulatu diligentiam adhiberi; nihil tanę

g. Scilicet, *De condigno, vt theologi loquuntur.*

Maiestati respondere; infra illam esse omnia. Eadem Æternitatis meditatio præsentem vitæ statum assiduè ingerit, monetque, iam laborandi ac promerendi tempus esse, longissimas sine fine ferias, æternos sine exitu annos secuturos, quibus nec laborare, nec promereri quidquam licebit..

Memini me legere, nec sine admiratione, fuisse hominem, qui Æternitatem animo sic prospexerit: Quis mortalium est, aiebat ipse secum, qui quidem sanæ mentis sit, & ratione vtatur, qui regnum Galliæ, Hispaniæ, Poloniæ, regna sanè opulentissima sibi vendicet ea pactione, vt quadraginta continuos annos in lectulo rosis strato, eoque mollissimo resupinus iaceat? Et licet forsan non defuturus sit, qui ad hanc conditionem descendat, & sic decumbere incipiat; is tamen non totum triennium (res certa) sic decumbet, quin abrumpat & dicat: Sinite, surgam; malo carere regnis, non dicam tribus, sed omnibus, quàm sic continuè, licet mollissimè iacere, vel decem tantùm annis; necdum viginti, aut triginta,

triginta, vel, vti pactio fiebat, annis quadraginta.

Itáne res se habent, vt nemo sanus reperiatur, qui, vt triplici regno donetur, triginta vel quadraginta annis dictâ lege decumbere velit? quàm ergo cœca, quàm furiosa est insania, ob lacerum rete, ob tres aciculas, ob crepundia vilissima, illud petulanter subire periculum, & tale designare facinus, ob quod in candente crate, in feretro flammeo, non solis quadraginta, non quadringentis, nec quatuor millibus, sed nec quater cẽtenis millibus, sed æternùm torquearis. Furijs, ô mortales, intemperantissimis agimur, nisi iam maturè, & in rem nostram sapimus.

§. 3.

Tertium hîc documentum: Vtinam ab ijs omnibus, qui hæc lecturi, vnum hoc impetrem, vt duplici cõspiciliorum genere vti assuescant *h*. Vnum quidem cæruleum, purpureum vocari potest alterum. Cærulei vitri conspicilia sic vsurpanda. Quotiescunque nobis bene est,

h Zwey gar nutze paar Augenspiegel.

cùm corpus vel animus, vel vtraque pars hominis in voluptate est, quotiescunq; vel amœna pulchraque oculis, vel auribus suauia, vel gulę delectabilia, vel odorandi & palpandi sensibus grata sese ingerunt, qualiscunque demum iucunditas, quæcunque nos delitiæ afflent, mox conspicilijs cæruleis ita vtamur, vt pro se quisque ratiocinetur hunc in modum: En hoc tibi placet, hoc sapit, hoc iuuat & melli est: sed quæso quid hoc omne ad æternitatem beatorum? quid hæc mellis guttula, ad illud mellis mare in cęlo? quid frustra hic lambo & lingo? quid famelicis his linctibus meipsum ab æternis voluptatibus distineo? Illam, inquam, illam cælitum æternitatem suspice, eò aspira, vbi abundãter est, quicquid vspiam voluptatum est, aut esse potest.

Atque hæc talis cogitatio medios inter conuiuas, ipsa inter tripudia, in ipso delitiarum vigore locum habet, si velimus. Hoc artis arcanum in omni delectatione adhibendum. Atque hoc est conspicilijs vti cæruleis: animum erigere, ad futura transferre, cælestes delitias

velut

velut prælibare. Ita moderatè, ac ſine damno amœnitatibus fruemur.

At verò cum nobis malè eſt, cùm vel corpus dolor, vel animum ægrimonia exedit, cùm eſt quod vellicet, affligat, cruciet, mox ocularium ſpecillum purpureum ita ſuffigẽdum, vt apud ſe quiſque dicat: Hoccine ita te vexat, iſtud adeò te torquet, vt pænè in rabiem agat? Quid hoc autem, obſecro, quid iſtud ad æternitatem damnatorum eſt? Demitte oculos, & inferos cõtemplare. Quicquid hic te vrit, fabula eſt, iocus eſt: quicquid hic pateris, meritiſſimus ludus eſt: igniũ vmbra ſunt ignes noſtri ad illa inferorũ incendia; pœnæ, quas hic dependimus, delitiæ ſunt, ad illa nunquam deſitura tormenta.

Quid ergo vaniſſimis querelis cælum terramque oneras? Impatientiam hic tuam, imò tuam & ſtultitiam (ignoſce verbo) hic nimium prodis. Tu certè, quid gehenna ſit, ignoras, alioqui tot querelas non ſparſurus. Sed miſerias ac ærumnas mihi tuas obijcis. Quæ nam tãdem illæ? Num ſtabulum habitare cogeris?

ris? At illic extremi fœtoris haras igneas habitant damnati, idque æternùm. Crebra te fames cruciat? At illic nec mica fami, nec gutta siti succurrit; sititur, & esuritur, idque æternùm. Videris tibi lacrymis natare? Hęc gaudij materia est, si velis: Ibi erit fletus, sed siccus; ibi erit stridor dentium, sed nil profuturus, idque æternùm. Inimici te tui fatigant, inuidi obtrectatores te lacerant? Quid hoc ad inferos, vbi exosissima damnatorum & diabolorum omnium societas toleranda est, idque æternùm. Mœrores & curæ te angunt? Illic continua cor desperatio discerpit, idque æternùm. Hic forsan humi iaces, aut asseri rigidoq; strato indormis? Illic ignis pro lecto est, vbi nunquam dormitur, idque æternùm.

Si his talibus conspicilijs hac ratione vtamur, de grauissimis etiam malis nil conqueremur: & quicquid aliàs durum & intolerabile visum est; iam facile, momentaneum ac leue videbitur. Fateri cogêmur: Hæc omnia, ô mi Devs, quæ suo fine clauduntur, tolerabilia sunt, iucunda sunt, cælum sunt, ad damnatorum æternitatem collata. §. 4.

§. 4.

Duplici hoc conſpiciliorum genere optimi quique hominum ſemper ſunt vſi, & etiamnum vtuntur. Beatus Gregorius his ſe plurimum adiutum nõ diſſimulans: Dum, inquit, recognoſco Iob ſedentem in ſterquilinio, Ioannem eſurientem in eremo, Petrum pendentem in patibulo, Iacobum decollatum Herodis gladio, Cogito, qualiter DEVS in futuro cruciabit quos reprobat, qui ita durè affligit quos amat? Si cũ intimis amicis ſic agitur tempore gratiæ, quid hoſtibus fiet tempore iuſtitiæ ac vindictæ?

Eruditè Chryſoſtomus: Ab experimento, inquit, rerum tenuium fieri poteſt, vt accipiamus de magnis aliquid coniecturæ. Si quando in balneo fueris nimium efferueſcente, tum gehennę recordaberis: & rurſus ſi quando febre acriore conflagraueris, ad flammam quæ illic eſt, progredere: tum probè intelliges, quia ſi balneum & febris adeò nos afflictant & territant; quo animo futuri ſumus, quando in fluuium ignis incidemus, qui ducitur ab illo horrendo tribunali?

bunali? profectò frendemus dentibus propter labores illos & cruciatus indicibiles; nemo suppetias feret, *i*.

Et quæso, vt conspicilia hæc discamus ritè applicare; sumamus noctem vnicam, quam à curis alijsve fodicantibus cogitationibus insomnem, aut quam infestante calculo, vrente podagrâ, torminibus aut dentium doloribus in nos sæuientibus turbatam exigimus. Quàm hæc talis nox longa, & instar hebdomadis aut mensis est! Quid si anno toto sic inter dolores iacendum; quid si annis centum, quid si mille annis, si sex aut decem millibus annorum? quid si æternũ, & sine fine?

Parimodo potest quis sibi repræsentare, quicquid vnquam illætabile, luctuosum, crudele, miserãdum, horribile vidit & audijt, quicquid ab Orbe condito sæua tyrannorum crudelitas excogitauit, quicquid ad vsq; Mundi occasum sæuissimorum hominum immanitas inuenire poterit; hoc autem omne si velut in fascem colligatum cũ æternitate damnatorum

i. Chrys. tom. 5. ep. 5. ad Theodor.

natorum componere, & quasi per conspicilia mentis oculos ad imas Erebi sedes demittere voluerit, cum Chrysostomo proclamabit: Hæc omnia quæ hic patimur, merus ludus ac risus sunt, si cũ illis supplicijs in contentionem veniant. Et caussam iungens orator Græcus: Etenim hæc tormenta, inquit, temporaria sunt: illic autem nec vermis moritur, nec ignis extinguitur. Pone, si libet, ignem, ferrum, & bestias: & si quid his difficilius: attamen nec vmbra quidem sunt hæc ad illa tormenta. Nonne videmus terrenos milites principibus seruientes, quomodo criminosos trahunt, quomodo ligant, quomodo flagellant, quomodo perfodiunt costas, quomodo faces tormentis adhibent. Sed hæc omnia ludicra & risus ad illa supplicia. Nam & temporaneæ sunt hæ pœnæ: illic verò neque vermis moritur, neque ignis extinguitur, *k*.

His omnino conspicilijs vtendum in rebus omnibus tam acerbis & tristibus

k. *Chrys. tom. 4. hom. 9. in epist. 2. ad Cor. & tom. 5. hom. 49. ad pop. Antioch. fine.*

bus quàm ſuauibus & iucũdis. Alioquin nobis id ſolum videbitur magnũ, quod oculis erit proximum: dolor præſens aut voluptas nos afficiet, futura omnia tanquam eminus ſita vix cernentur. Ideò ex ijs omnibus quæ aſpicimus, audimus, olfacimus guſtamus, tangimus, aptandum conſpicilium, ad remotiora illa pleniùs cernenda.

§. 5.

Chryſoſtomus hæc ampliſſimè confirmans: quando, inquit, videris aliquid bonum & magnum in præſenti vitâ, cogita cęlorum regnum, & id nihil eſſe exiſtimabis: quando terribile, cogita gehennam, & irridebis. Quando te inuaſerit cupiditas corporalis, reputa & ipſius peccati voluptatẽ, quòd nullius ſit pretij, quòd ne habeat quidem voluptatem. Si enim legum, quæ hic ſunt latæ, metus tantam vim habet, vt nos à prauis abducat actionibus, multò magis futurorum memoria, ſupplicium immortale, pœna ſempiterna. Si metus regis terreni à tam multis nos abducit malis, quantò magis metus æterni regis? Quomodo ergo po-

terimus

terimus assiduè metum habere? Si perpetuò audiamus scripturas. Nam si mortuus, si solùm videatur, animum nostrũ ita reprimit, quantò magis gehenna & ignis qui nequit extingui. Si gehennam semper cogitemus, non citò in eam incidemus, *l.*

Phalaridis Taurus supplicium olim fuerat horrẽdum, Origo illius inde, Phalaridi Agrigentinorum tyranno bouem opifex fabricauit æneum, quo inclusi subditis ignibus, longo & abdito cruciatu, bouis instar mugiebant. Teterrimũ artis suæ opus primus artifex inclusus imbuit; *m.* In hoc æneũ ignitum ergastulum generosissimus martyr Eustachius cum coniuge Theopiste ac liberis conclusus, inter immanissima tormenta gloriosè finijt, omnibus pòst sæculis mirandum Constantiæ exemplum, *n.* Hos cruciatus verè dixeris infernũ, sed ô infernum mitem & minimè diuturnum! Et licet hunc cogitatione non difficile sit asse-

l. Chrys. hom. 2. in 1. epist. ad Thessalon. m *Valer. Max. l. 9. c. 2.* n. *Romæ die 20. Septemb. Vide Lipomannum, Surium, Lippeloo, Haræum.*

sit assequi, ea tamen quæ nos ipsi sentimus, faciliùs intelligentiâ, citiùs volũtate ac memoria cõplectimur, ideò in rebus omnibus, vt demonstratum est, quæ vel amœnè ac suauiter afficiunt, vel vrunt, mordent, ac pungunt, specilla sic adhibenda, vt identidem dicamus: Ecquid hoc ad æternitatem, quid istud ad inferos? Pergamus, & patiamur. Quęcunque patimur, iocus & vmbra sunt ad Æternitatis immortale tormentum.

Hæc in anteceſſum Lectori ſcienda duxi. Primę artis eſt, futura illa ſępius rectè meditari.

Caput II.

Primum AEternitatis Tartareæ tormentum.

TENEBRÆ.

Hieme in noſtris regionibus longiſſimæ noctes ſunt, æſtate multò breuiores. At verò fieri poteſt, vt alicui nox longior videatur æſtate, quàm quæ longiſſima eſt hieme. Quam ea nox longa

ſit

fit neceſſe eſt, quæ horis non multis canitiem anteà non viſam adfert. Id fieri, certis teſtibus, & vel ipſa docemur experientia. Nec docti negant, fuiſſe qui nocte vnica canuerunt. Didacus Oſorius à rege Hiſpaniæ in carcerē coniectus Hiſpali, à mœrore nocte vnà incanuit. Bilbilitanus vates mirabundus cecinit:

O nox quam longa es, quæ facis vna ſenē, a!

Rectius dixerim: O nox quam longa es, quæ cogis vna non ſeneſcere, ſed mori millies, & ſæpius! Eiuſcemodi noctes apud inferos ſunt, quibus vel millies, & crebrius, moriuntur damnati, nec tamē vllus moriendi finis eſt. Heu longa nox, quæ longior videtur anno, quæ longior olympiade vel luſtro, quæ longior vel ſæculo. At verò longiſſima nox eſt, quam nullus vnquam ſequitur dies; horribiliſſima nox eſt, quæ tenebris inuoluitur æternis. Tali nocte, talibus & tenebris Deus in hoſtes ſuos vindicat. Sole procul & lunâ, procul omnibus aſtris damnati degunt. *Noctem illorū tenebroſus turbo poſſidet:*

a. *Martialis l. 4. epigram. 7. In caſtigato rectè deeſt hoc epigramma.*

possidet: non computatur in diebus anni, nec numeratur in mensibus. Obscurant eam tenebræ, & vmbra mortis, occupat eam caligo, & inuoluitur amaritudine, b. Damnati conditorem suum non tantùm non vident, sed nec vnquam in omnem æternitatem videre illum poterunt, ad quem tamen videndum conditi sunt. Et hoc primum apud inferos supplicium est Tenebræ. Duplices inferorum esse Tenebras, & quàm inexplicabile sit tormẽtum, quod theologis, *Pœna damni*, dicitur, ostendemus.

§. 1.

Tenebræ apud inferos, duplices. Illas *Corporis* voco, & exteriores, has *Animi*, & interiores. Illæ Corporis, tenebras Ægyptias, horribiles, crassissimas, manu palpandas longè superant. Ignis apud inferos ardere potest, lucere non potest. Quod Sapientia de tenebris Ægyptijs asseruit, idem de Orcinianis dicendum. Vnâ catenâ tenebrarum omnes erunt colligati,

-----clausi tenebris & carcere cæco, c.

De

b. *Iob c.3, v 5. & 6.* c. *Virgil. l.6. Æneid.*

De hac tenebrarum pœnâ Chryſoſtomus: Plorabimus omnes triſtiſſimè, inquit, flammâ nobis vehementiùs incumbente. Neminem videbimus præter condemnatos nobiſcum, & immanem ſolitudinem. Quis poteſt verbis conſequi, quàm formidabiles pauores à tenebris exoriẽtur, quæ in animis noſtris extabunt? Quemadmodum ignis illic non habet vim reſoluendi, ſic nec lucere poteſt: alioqui non eſſent tenebræ. Huiuſmodi igitur pauorem à tenebris, tremorem, ſolitudinem, membrorum attonitum ſtuporem adducere ſufficit vna illius temporis ratio, *d.*

At tenebræ interiores illæ, longè horribiliores ſunt, quas Theologi *Pœnã damni*, ſeu, *Diuinæ viſionis priuationem* vocant. Hoc omnino ſuppliciorum ſummũ eſt, quo Deus hominem punire poteſt. Nam vti, *Videre Deum*, ipſiſſima beatitudo eſt, & ſumma beatorum felicitas: ita, *Deum videre non poſſe*, maxima damnatorũ pœna eſt, è quâ inexplicabilis in eorum voluntate naſcitur triſtitia. Explico.

Falco

d. *Chryſ. to. 5. Paraneſi priore ad Theodor. lapſum.*

Falco auis dum ſcorteo pileolo tectos habet oculos, nec picas, nec anates, nec ardeas inſectatur: at vbi pileolo detracto *e.* auem conſpicatur ad quam conſectandam naturâ fertur, iam non ampliùs retineri poteſt niſi violentiſſimè: abrumpet lorum & vincula, atque ſi aliter non poſſit, aut ſibi ipſi pedem, aut venatori brachium, dum luctatur, grauiter lædet, tantâ vi naturæ rapitur, ad illam quam eminus cernit volucrem.

Non abſimilis eſt cum homine ratio. Dum in Orbe hoc agimus, oculos cucullo, *f.* tectos gerimus; in tenebris ſumus. Hinc mirum non eſt, nos ad videndum Deum vi nulla rapi; velamen oculis ac vultui præpanſum impedit. At vbi Animus corporis exuuijs abiectis, cucullo per mortem detracto, iam in Æternitate conſtitutus liberè circumſpiciet, tanta vi ad conditorem ſuum rapietur, vt inter ſupplicia omnia, hoc ei futurum ſit ſummum maximumq́; à Conditoris aſpectu vel breui morula diſtineri. Si iam ab eodem

e. Venatores vocant Hauben. *f.* Mit einer Nebelkappen.

dem excluſus ſit æternùm, hoc illi tormentum erit infandum prorſus & inexplicabile. Beatitudinis ſumma eſt, Videre Deum. Rex Dauid ſapienter animaduertens, nullis voluptatibus, re nulla ſatiari poſſe hominem: *Satiabor*, inquit, *cùm apparuerit gloria tua*, g. Hinc calamitatum omnium apex eſt, ab aſpectu Dei arceri.

§. 2.

Quoduis damnum tantò maius eſt, quantò plus bonorum eripit. Grauis mulcta eſt, cogi decem millia philippeorum pendere; grauior eſt, viginti aut triginta. Centum millium inter grauiſſimas cenſetur. Sed hanc ipſam longè ſuperat, multis auri millionibus, imo theſauris omnibus in omnem vitam ſpoliari. Talo omnino eſt Tenebrarum hoc ſupplicium, quod bona ſimul omnia rapit, nec in omnem tantummodò vitam, ſed in omnem, eheu, æternitatem.

Hinc attonitus Chryſoſtomus: Nam ſi mille, ait, dixeris gehennas, nihil illius par dices doloris, quem ſuſtinet anima. Into-

g. *Pſal. 16. Verſ. 15.*

Intolerabilis gehenna est, confiteor, & multum intolerabilis: tamen intolerabilior hæc regni amissio. Hoc cogitate. Hoc ipsum sæpius repetens & inculcans: Simille aliquis ponat gehennas, inquit, nihil tale dicturus est, quale à beatæ illius gloriæ honore repelli, exosumque esse Christo, & audire ab illo, Nõ nouimvos, *h.*

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur, i. Duplex hic arboris supplicium: Exscindi & in ignem mitti. Arbori mitiot pœna foret, ignibus vstulari, quàm sic eradicari, vt ab ea nec frondes nec flores vnquam ampliùs sperari possint. Ita prorsus homini supplicium foret mitius, in ignibus esse, quam à conspectu Dei æternùm excluſum esse.

Imaginem aliquam huius supplicij, vel vmbram, etiam in hac vita videre est. Qui Deum grauiùs læserunt, dupliciter quandoque puniũtur. Primò doloribus & mœroribus. Sic Antiochus & Herodes

h. *Chryſ. to. 5. hom. 49. ad pop. propius finem, Idem tom. 2. in Cap. 7. Matth. hom. 24.* i. *Matth. Cap. 3. Verſ. 10.*

des etiamnum viui vermibus ebullierũt, velut cadauera, aut putres caſei, verè *percuſsi à Deo*. Hæc prima pœna. Altera, ſolatium omne ſubtrahitur, vt ita punitus nihil amœni reperiat in Deo. Atque hoc guſtulus & promulſis *k.* inferorum eſt. Quamuis & ſanctiſſimi quiq; hominum hac promulſi de ſubinde initientur. Ideò ſæpe vociferatus eſt Dauid: Ne proijcias me a facie tua: Non auertas faciem tuam à me. Quemadmodum igitur tam virtutum quàm vitiorum cultores, aliquãtulâ tam ſenſus quàm damni pœna mulctantur dum viuunt, vt guſtent quid legis & moris ſit apud inferos: ita qui illuc præcipitantur, illam non ſenſus tantùm, ſed & damni pœnam tota mole incumbentem perpetiuntur, & vſque in æternum non videbunt lumen.

§. 3.

Beatiſſimum hunc ſupremi Numinis intuitum perdimus quouis letali peccato. Nam, vti theologorum Magiſter docet, quiſquis letaliter delinquit, voluntatem à ſupremo fine auertit, & eo ipſo

k. Hölliſch Voreſſen.

meretur, hoc fine, ad quem conditi fumus, excidere. In hos iam dudum lata eſt ſententia: *Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem*, l. Hæc pœna non ſolùm in ſe grauiſſima & maxima, ſed hominis culpa plurimum augetur. Ab exẽplo res patebit.

Eſt qui decem millia philippeorum aſſequi potuiſſet adeũda hæreditate, ſed ille ignauiſſimus cauſæ ſuæ indormijt, itaque hæreditatẽ tam opulentam neglexit, *m.* iamq; talibus ſerę pœnitentię furijs agitatur, vt ipſe ſibi immineat, velut ſeipſum diſcerpturus. Et nonnunquam mors inde violenta ſequitur. Haud aliter damnatorum quilibet ſeipſum ſic allatrat: Potuiſſem; auxilia nõ deerant; vocabar: potuiſſem, eheu, potuiſſem, ſed nolui. A ſummo Bono excluſus ſum in omnę æuum, & vſque in æternum non videbo lumen, quia nolui videre.

Sentire tanto ſe bono priuatum eſſe, & quidem ſuâ culpâ, inexplicabilis infandus erit dolor mœrorque. Nec mirum,

l. *Pſal. 6. Matth. Cap. 7. Verſ. 23.* m. Hat ſein Recht verſchlaffen.

rum, hæc explicari non posse. Cùm enim cæli gaudia cogitando non penetremus, Numinis aspectum non capiamus, quid miri, si tanti boni priuationem non satis æstimemus. Infantulus, cùm parens illius moritur, ignorat quid in hoc vno homine perdat, ideò nec gemitus ducit, nec lacrimas fundit: Simillimè nos agimus, cùm peccamus; ignoramus heu miseri quantum bonorum amittamus.

Neque verò hic vnquam tot tantisq; malis obruimur, quin subinde respirare liceat; accedit quòd Orbis alterius statũ nesciamus. Hinc non neminem videas, qui sub ingenti malorum mole, cum rege Vandalorum Gilimere rideat. Risus omnis ab Orco procul exulat.

In omni noxa letali, singulariter spectanda sunt duo hæc, *Auersio* & *Conuersio*. Sic loquamur cum Theologis. Auertit se à creatore qui peccat; Conuertit autem se ad rem creatam. Hoc velut duplex in Deum iniuria est. Auersioni proinde *Pœna damni*, Conuersioni *Sensus pœna* respondebit, quæ licet mul-

tiplex sit, ab illa tamen priore multum superatur. Et certè procul omni risu esset, quem sola Damni pœna torqueret; gehennæ satis sentiret, qui hoc vno supplicio afficeretur.

Grauissimè olim questus Cain impius: *Ecce*, inquit, *ejcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar*, n. Et tamen etiamnum spes erat recuperandæ gratiæ. Quid de inferorum captiuis dicendum? Iecti sunt à facie terræ, & à vultu diuino absconditi. Verè Deus, quod diu minabatur, dereliquit eos, & abscondit faciem suam ab eis: sunt in deuorationem; inueniunt eos omnia mala & afflictiones, o. Illud malorum maximum: Proiecti sunt à facie Dei. Quod vnicè ac toties deprecatus est Dauid, à facie Dei non proijci, hoc illis iam contigit: Proiecti sunt, nunquam amplius recipiendi.

Quàm acerbi doloris est, si is qui iam iam in regem fuisset vngendus, capiatur, & in furum ergastulum detrudatur. Videte Orbis terrorem Nabuchodonosorem in ipso gloriæ culmine constitutum, subitò

n. *Gen. c. 4. v. 14.* o. *Deuter. cap. 31. vers. 17.*

subitò præcipitem ruere, & in saltum ad feras ablegari, vt qui malè hominem egisset, discceret iam agere bouem. Videte Hebræum regem Sedeciam è solio in carcerem raptari, neque solùm fortunis omnibus, sed & oculis priuari. Tunc verissimè, quod Boethius dixit, miseriarum maxima erat, meminisse felicem se fuisse. Non aliter damnati omnes eo tempore in Æternitatis antra raptabuntur, quo inter ceteros beatos fuissent attollendi in reges, non minimum vnquam sensuri malum, summum semper possessuri Bonum. Hoc vnum rectè damnum dixeris, & quod satis dici, quod satis defleri non potest, irreparabile.

§. 4.

Orbus oculis quid aliud quàm illud cœci postulet: *Domine, vt videam*, p. Si quę damnato fieri posset gratia, vt vnam aliquam ex vniuersis cæli voluptatibus peteret, vtique id vnum rogaret: *Videam Deum*. Amœniorem locum non cupio, suauiorem societatem non desidero, nec in ignibus esse detrecto, modò *Deum*

p. *Luc. Cap. 18. Vers. 41.*

videam. Verùm id nulla lex permittit *p.*

Sed obsecro, modò post mille annos id impetrem. *Non permittit hoc vlla lex.*

Modò post decem millia annorum id fiat. *Nec hoc permittit.* Vtinam vel post viginti millia annorum id consequar quod peto. *Nec istud leges vllæ patiuntur.*

Saltem post quinquaginta millia annorum hoc obtineam. *Omnes Dei leges reclamant.*

Ah, vel saltem post centena millia annorum Deum videam. *AEque hoc abnuunt diuinæ leges.*

O si demum vel post centies centena millia annorum exaudiar. Actum est; Nihil hic impetrabile est; Ianua gratiæ iam clausa est. Porta cęli iam obserata est. Deum nunquam videbis, Et vsque in æternum non videbis lumen, *q.*

Hoc cogitate, inquit Chrysostomus. Cogitemus, obsecro, cogitemus, & hæc tam seria vel à nugis nostris æstimemus. Si quis moliatur omnia, & nullum non lapidem moueat, vt vel desideratos hono-

p. Rannit sein. q. *Psal.* 48. *Vers.* 10.

honores, aut optatas opes, vel expetitam sponsam impetret, nullisq; laboribus vel sumptibus parcat, iamque pænè votum suum spe certâ deuoret, paretq; nuptias; Alius tamen ex inopinato præueniat. Hoc miserum ad insaniam redigit. Hic damnum cum pudore ferendum. Hinc amentia & furor, hinc cædes & mala plurima.

Sed comparate mihi hominem spe sua falsum, & alium æternis tenebris inuolutũ. Grande nimis discrimen est. Ille aliò migrare, alios honores, sponsam aliam ambire potest. At iste nec locum mutare, nec supplicium effugere valet; spe omni excidit, æternum desperatissimus. Nihilominus fateri cogitur, quod Deus pro se sollicitus in viâ variè vocarit, ipse verò venire ac sequi contempserit. Non nescit eò se conditum, Christi sanguine redemptũ, salutis fonte ablutum, à Deo millies inuitatum: Veniret modò, regnum occuparet, conditore suo æternum frueretur. Sed ego, dicet ipse sibi, in culpa sum, ego neglexi, ego me in has flammas præcipitaui. Hic pu-

dor, dolor, furor miserabilis, immensus. Isaias clamat: *Tenebræ & palpatio factæ sunt super spelunças vsque in æternum*, r.

Hoc vel ipsi cacodæmones fatentur, cùm illis corpore insesso latitantibus exprobratur: *O miseri, Deum nunquam videbitis.* Tum illi fremere, sæuire, furere, gestu motuque corporis horribili ostendere, eâ vnâ re incredibiliter se torqueri.

§. 5.

Beatissimam hanc Dei visionẽ Christus Dominus compendio explicauit, cùm omnem Angelorum felicitatem in eo sitam docuit: Semper vident faciem Patris, *s.* Cùm verò illam de regijs nuptijs parabolam pro concione exponeret, sub finem addidit à rege dictum: Mittite eum in tenebras exteriores, *t.* Hebræâ phrasi carcer longè teterrimus, tenebræ nimium formidabiles designantur, quale nihil in Orbe hoc nostro. De hoc Augustinus disserẽs: Vt penitus, inquit, extra Deum sit, quisquis dum tempus est, corrigi noluerit, *u.*

Ea

r. *Is. Cap. 32. Vers. 14.* s. *Matth. Cap. 18. vers. 10.*
t. *Matth. Cap. 22. Vers. 13.* u. *Aug. in Psal. 6.*

Ea vitæ istius ratio est, & tanta subinde mœstitia nos incessit, vt vnum hoc lubeat, *Lugere*; nulla Sirenum carmina, nulli Charitũ lepôres, nulla Voluptatis blãdimenta pristinæ nos hilaritati restituere possunt, adeò nonnunquam in mœrorem obstinauit animus. De superioris æui Imperatore publicæ litterę produnt, eum tantis mœroribus confectum fuisse, vt illum nulla vocum & fidium harmonia, non equestres ludi, nulla locorũ amœnitas, nulla gratissimorum hominum colloquia ad hilaritatem potuerint traducere; frustra erãt omnia. Quid hoc, obsecro, De' sibi vult? Quid eruditionis sacrę hîc ingerit? Hoc ipsum: An videtis, ô mortales, quàm humana omnia inane magnum, & picta vanitas sint? Num tãdem sentitis, quantum à me vno, omnia vestra pendeant? En, nec omnium quidẽ voluptatum congeries animum mœrori datum, absque me, hilarare potest.

Ita prorsus est: habes, ô Deus, confitentes reos. Quòd si huic tam mœsto homini cuicunque diuina facies vel momento se conspiciendam præbeat, mox

omnes triſtitię nubes euaneſcant neceſſe eſt, perinde ſi quis è triſtiſſimo ſomnio euigilet repentè, ſomnijque ſui vanitate damnata, in palatio nobiliſſimo, inter chariſſimorum gratulationes ſeipſum circumſpiciat.

Porrò Deum videre tam immenſæ voluptatis Oceanus eſt, vt, etiamſi quis vel in igne ſit, ſi Deum tamen videre poſſit, præ tãti gaudij dulcedine ignem ſenſurus non ſit. Cogitationes hic noſtras, obſecro, mittamus vlterius, & paullò altius diuinos hos intuitus expendamus. Inde profectò liquebit, quantum hæc vna ſummi Boni iactura triſtitiam ac dolorem omnem calamitates omnes, omne malum ac ſupplicium infinitis partibus excedat.

§. 6.

Atqui hæ tenebræ, ſeu, diuini aſpectus priuatio primum eſt tormentum Æternitatis damnatæ, quâ iuſtiſſimè punitur humanæ mentis cæcitas, quæ primum in hac vita malum & vltimum malorum eſt. Vſquequaq; is miſer eſt, quem cæcitas iſta corripit. Hunc talem nec admoni-

monitiones, nec exempla, nec correptiones, nec instructiones, aut conciones vllæ corrigunt. Cæcitas & animi furor hominem iam occuparunt. Quà data porta ruit in vetitum, amentiâ cœcus. Huic sobrios castosq; mores commendare, est colores laudare cœco.

Huius erant farinæ duo nequissimi senes illi, alienæ pudicitiæ subsessores, Susannæ iudices, qui Euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum, x. Hos lasciuus amor adeò in transuersum egit, & dementauit, vt conscientiam, voluntatẽ ac rationem illorũm fœdæ tenebræ inuoluerint. Sicut autem qui in alta nocte ruere incipiunt, non vident quâ ratione sistant ruinam: ita illi prout labi cœperunt, sic ad grande nefas prolapsi sunt.

Hinc nemini mirum videatur plurimos in turpissimis flagitijs quieta statione persistere; caligo mentium illos exercet. Priora vitia diem illis eripuerunt, in-

x. *Daniel. Cap. 13. Vers. 9.*

de iam ſecuri pergũt ſcelerata nocte defenſi ; Euertunt ſenſum ſuum, & declinant oculos ſuos ne videant cælum. Iob pepigit fœdus cum oculis ſuis, ne virginem aſpiciant ; illi cum ſuis ne cælum videant, ab eo forſitan terrendi aut alliciendi ad meliora.

Hoc mentis eſt tenebris ac ſordibus oppletæ, quam ideò *Pœna damni* cruciat æquiſſimè. Noluiſtis videre Deum; non videbitis æternùm. Quapropter Hieremias vates hortatur: Date Domino Deo veſtro gloriam, antequam contenebreſcat, y.

Græcus eccleſiaſtes Chryſoſtomus, nobiliſſimam totius Chriſtianę philoſophiæ regulam tradit, rebus omnibus ſic applicandam: Suaue hoc quidem eſt, ſed non immortale. Epulari & cuticulam curare, *ſuaue quidem, ſed breue.* Indulgere genio, & delitijs ſe dedere, *ſuaue, ſed non diuturnum.* Carnis petulantias ſectari; *ſuaue, ſed non perpetùum.* Abundare diuitijs; *ſuaue, ſed non immobile.* Honorari ac laudari paſſim ab omnibus; *ſuaue, ſed non aternum.*

y. *Hierem. Cap. 13. Verſ. 16.*

æternum. Petere vltionem ex hoſtibus; *ſuaue, ſed heu quàm non ſtabile!* Stomacho ſuo viuere, pleraque omnia ex voluntate ſua facere; *ſuaue ac iucundum, ſed heu non ſempiternum.* At verò diuinis obtutibus priuari, acerbiſſimum ſimul & perpetuum; lugubre nimis & immortale. Ne igitur, inquit Chryſoſtomus, ſegnes ſimus, vt vno momento delitiemur (hoc enim eſt præſens vita) & infinitorum ſæculorum accerſamus nobis ſupplicium: ſed momẽto laboremus vt perpetuò coronemur. Videtis quòd etiam in ſæcularibus ſic plerique homines faciunt, & paruum laborem pro longâ quiete eligunt, tametſi diuerſum eis eueniat. Nam labor ſæpe immenſus, fructus verò paruus, & ſæpius ne paruus quidem. Conſidera agricolam per totum laborantem annum; & ſub ipſum finem ſæpius excidit ſpe fructus multorum laborum. Item gubernator ac miles vſque ad vltimam ætatem in bellis ac laboribus agit & ſæpius vterque moritur, & ille quidem ſarcinas diuitiarum, hic verò cum victoria etiam vitam amittit. Quam igitur habebimus

bimus excusationem, in rebus sæcularibus laboriosa perferentes, vt parum refocillemur, vel ne parum quidem, spes enim incerta est: in spiritualibus autem contrario modo facientes, & propter paruam ignauiam, ineffabilem pœnam nobis accersentes? Ideò oro vos omnes, vel sero ex hoc stupore euigiletis. Nullus enim nos liberabit in illo tempore, non frater, nec pater, nec puer, nec amicus, nec vicinus, nec vllus alius: sed si operibus destituti fuerimus, omnia transibũt, omninoque peribimus, z.

z. *Chryſ. tom. 4. in epiſt. 2. ad Cor. Cap. 5. hom. 9. fine.*

§. 7.

Rectissimè igitur hortatur Isidorus Peluſiota: In æternitatem tanquam in ſcopum intenti ſimus, & prudentiam indies diuinis oraculis acuere debemus. Hoc ſcilicet vnum terreat, hoc ſoletur vnum: Terreat quidem, dum quiſq; ſibi dicat: Perdo Deum hoc vitæ momento? Omnes vnà voluptates, omnia ſimul bona perdidi, idque æternum. Promereor Dei faciem hoc vitæ punctulo? Gaudium

dium omne, bona simul omnia acquisiui.

Gregorius id affirmans; Omnia etiam retinendo, inquit, relinquitis, si sic temporalia geritis, vt tamen tota mente ad æterna tendatis. Si cupis, inquit Chrysostomus, his quæ in Mundo sunt, frui, cælum quærere: Si vis etiam præsentia consequi? toto illa studio despice, *a.*

Erminigildus iuuenis sanctissimus Hispani Regis filius, cùm ei pater Leuigildus iussisset dici, aut eucharistiam Arriano ritu sumendam, aut moriendum esse. Ille religionis verę tenacissimus Arriano patri renuntiari iussit: Facilem esse iacturam regni, quod diu retineri non posset: illud à se regnum ambiri, quod reges faceret immortales.

Non aliter nobis ratiocinandum: Rebus omnibus quæ à summi Boni aspectu detinent, Vale longissimum dicamus. Plurima enim perduntur cum lucro, nec æstimandum est damnum illud, quod fœnore pensatur amplissimo.

Cùm rex Demetrius Athenas cepisset,

a. *Chrys. in 1. epist. ad Tim. hom. 11. fine.*

set, Lachares Athenienſis philoſophus vultum atramento tinxit, ruſticam veſtem induit, & calathum multâ fronde opertum tulit. Quâ ratione per portam omnium minimam furtim egreſſus eſt. Vt verò Tarentinos equites ſummo ſtudio inſequentes falleret, equo & ipſe cõſcenſo, numos Daricos in viâ velut neglectim ſparſit. Hos dum illi ſtudioſius colligerent, ipſe in Bæotiam eluſis inſecutoribus peruenit. Lucrum eſt, perdere vt lucreris, abijcere vt ſerues. Abijciamus ergo vt ſeruemus, perdamus vt lucremur. Hoc vnum perdere metuamus, æternum Dei aſpectum: illudque iam aſſiduè pro ſe quiſque roget : *Ne proijcias me à facie tua*, b. *Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram*, c. *Oſtende mihi faciem tuam*, d. *Domine, Oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis*, e. Domine, paratus ſum omnia, quæ iuſſeris, aggredi; quæ immiſeris, pati; quæ volueris, facere; quæ prohibueris, cauere. Tu modò, *Ne auertas faciem tuam à me.*

b. *Pſal.* 50. *verſ.* 13. c. *Pſal.* 26. *Verſ.* 8. d. *Exodi Cap.* 33. *Verſ.* 13. e. *Ioan. Cap.* 14. *Verſ* 8.

à me. Domine, iam ſim in tenebris, iam vilipendar, iam infimis accenſear. Tu modò ne auertas faciem tuam à me. Malum etiam leuiſſimum, ſi ſemper duraturum ſit, immenſum ab æternitate pondus accipit. Quid ergo de malorum omnium malo grauiſſimo dicendum?

CAPVT III.

Alterum Æternitatis Tartareæ tormentum.

FLETVS.

SI vinitor incurius botros in vite iam maturos negligat, ac tum primum ad torcular deferat exprimendos, cùm iam putreſcunt, vinum effluet tàm ignobile & inſuaue, vt id nulli nec ebrio quidem propinari poſſit. Lacrimæ piæ, pretioſus liquor, & vinum ſanè generoſum ſunt, vel Angelis propinandum, ſi tempori fundantur.

Bernardus certè aſſerit, noſtras lacrimas Angelorum eſſe delitias, ſi tamen eas

eas expreſſerit vel dolor ſanctus, vel amor diuinus. Quòd ſi lacrimæ fundãtur tempore non ſuo, aut cauſa non laudabili, in vinum aceſcens & marcidum degenerant; potus miſerabilis, nemini profuturus.

Illa regum monſtra Herodes & Antiochus lacrimas fundebant, ſed non ſerias, & nimiũ ſeras. Venator Eſau, Paulo teſte, Non inuenit pœnitentiæ locum, quamquã cum lacrimis inquiſiſſet eã, a. Vinum ignobile atque fugiens, lacrimæ intempeſtiuæ.

Tempus viuendi, tempus flendi eſt: *Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua*, b. Hac quidem ratione fragrans Angelorum vinum, aromatites, conditum funditur.

Elephas quandoq; noctu triſtè murmurat, ſuam velut ſeruitutem deflens. In nocte degimus, dum viuimus, & heu vitijs crebro ſeruimus; cur ſeruitutem hãc miſerrimam non iure defleamus? Vuas ad vitem putreſcentes negligit, qui cum Petro

a. *Hebr. Cap. 12. v. 17.* b. *Pſal. 125. verſ. 5. & 6.*

Petro & Magdalena flere renuit. Serę nimis sunt lacrimæ in Orbe altero; Hic flēdum est. Væ miseris qui domum luctus subeunt æterni: illic quidem incipitur fletus, sed non finitur. Æternitas perennium pincerna lacrimarum est.

Atq; hoc alterum apud inferos supplicium est, FLETVS, de quo Seruator explicatissimè: Ibi erit fletus, & stridor dentium, c. *Tenebræ* oculorum, *Fletus* auriū tormentum est; de illo, capite priori, de isto, capite sequenti nos plura.

c. *Matth. Cap. 13. vers. 42.*

§. 1.

Damnatorum lacrimas Christus in diuinissimis suis concionibus sæpius ingessit, ne memoria elaberetur maximi doloris testimonium. Hinc illæ voces crebrius repetitæ: *Ibi erit fletus, & stridor dentium*, d. Fletus quidem, inquit Bernardus, ob ignem qui non extinguitur, stridor verò ob vermem qui nō moritur. Planè fletus ex dolore, stridor dentium ex furore. Fletum nempe tormentorum

d. *Matth. cap. 13. vers. 42. & cap. 22. vers. 13. Luc. cap. 13. vers. 28.*

torum immanitas, ſtridorem dentium vehementia ipſa tabeſcentis inuidiæ, & obſtinata malignitas extorquebit, *e.*

De tempeſtiuo fletu Veritas dixit: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur, f.* Hîc nonnunquam voluptatis eſt flere: Æternus illic fletus ſolatij omnis eſt expers. Notum Naſonis illud: Sedatur lacrimis, egeriturque dolor. At illic tormenta omnia incrementum à fletu capiunt, perinde vt flamma oleo aut bitumine vegetatur.

Quòd ſi damnati ſingulis diebus vel vnicam ſolùm lacrimulam ſtillarent, atq; hæ vnius diei guttulæ cum ſecuturis ceteris (quod Deo facile) aſſeruarentur, demum ingens lacrimarum Oceanus inundaret, maria omnia ſuperaturus, *g.* Verùm damnati licet acerbiſſimè plorẽt ac eiulent, nullas tamen lacrimas fundunt, quemadmodum perfrictæ frontis pueri, qui quamuis acriter à parentibus cædantur, nec vnicam tamen lacrimulãs extillant; obduruerunt contra plagas: In damna-

e. Bern. ſerm. 8. in pſalm. Qui habitat. circa med.
f. Matth. c. 5. v. 5. g. Æternitatis Conſid. 4. §. 2.

damnati, quorum voluntas est obstinatissima, horrendum quidem vociferantur & exululant, fremunt, rugiunt, ac furunt, sed pias oculorũ pluuias non mittunt, *h.* Omnes suas caueas confusissimis eiulatibus, velut pecudes iam iam iugulandæ complent. Ah, qualis musica æternum non sopienda!

Quod Paulus de cælestibus delitijs elocutus: Nec oculus vidit, nec auris audiuit, &c. id sanè de damnatorum etiam furioso fletu asserendum: Tam lamentabiles questus, tam horrificas vociferationes, tam terribiles rugitus edunt, vt verissimè dici possit, nemo simile quid vnquam audiuit.

In memoriam, obsecro, reuocemus crudelissimos Neronis hortos, in quibus ipse cenare solitus, dum Christiani circumcirca suffixi palis, *i.* lento igne cremarentur in vsum nocturni luminis, *k.* Quam lugubres ac miserandi horum eiulatus fuerint? Cogitemus, vel mille solùm

h. *Theologis notum, post supremum iudicij diem nullam nec generationem nec corruptionem fore.*
i. *Transfigi palo, simplex crucis genus.* k, *Tacitus l. 15. Annal. post med.*

lum huiuſcemodi crucifixos flammarũ medios, & mille alios iam fractis cruribus, rotis implexos etiamnum ſpirare, & luctuoſiſſimis lamentis cruciatus maximos teſtari. Quàm hæc miſerabilis eiulatio? Sed quid mille ſubiectis ignibus crucifixi, quid mille rotis inſerti rei ſunt ad tot millies millena millia, ad tot millionum milliones cùm damnatorum: tum dæmonum, quorum omnium formidabiles vociferatus, vnuſquiſque vt malum ſibi proximum diſtinctè percipiet.

§. 2.

Iſtud Deus ſapientiſſimè decreuit, vt quod beatos omnes mirificè oblectabit, eius contrarium damnatos incredibiliter excruciet. Cæleſtes modulos ac beatorum muſicam cõmendant ſæpius diuinæ paginæ, quippe omnes etiam exteriores ſenſus ſuâ quiſque voluptate perfundetur: ſic apud inferos ſingulariſſimum erit tormentum, perpetim audire tot centenorum millium horribiliſſimos mugitus, planctus, rugitus, perinde ſi meri boues aſſentur viui, aut ſi rabidi

canes

canes catenas rumpere luctentur, nec possint.

Quàm insuauis est musica, si vicinus atrium canibus plenum habeat, qui noctu assiduis latratibus peruigilis ægroti aures obtundant? Sed ô quam dulcis est canina hæc musica! ô quam mitis est, & minimè diuturnus hic Orcus, ad flammeos inferorum specus æternis eiulationibus exsonantes!

Ita nimirum amatoriæ impuræ cantiunculæ, ita lasciui moduli; sic carmina saltatoria, & spurca choreumata *l.* expiantur; illorum loco Væ, Væ, Væ sempiternum insonabit! Damnati Deum diuosque, imò & seipsos, omnesque sceleris socios assiduis execrationibus deuouebunt: parentem filius, filium parens, matrem filia, hanc mater execrabitur: omnes vitæ dies annosque, & ipsam qua quisque natus est horam maledictis onerabit.

Nil æquè tamen siccissimis illis lacrimis deflebunt, quàm turpissimam temporis iacturam: tot optimas horas, tot

l. Danzliedlein.

tot opportunissimos dies, tot hebdomades ac menses, tot ipsos etiam annos tam otiose tamque turpiter consumpsisse, dolor erit vehementissimus, sed heu nimium serus.

Narrat Petrus Reginaldus, Homini religiosissimo, dum preces funderet, allapsam ad aures vocem lugubrem. Quæsijt ille quis esset, quid ploraret, quid peteret? Ad quem vox iterum: Vnus è damnatis sum. Quid lugubrè ploras, aiebat alter. Cui denuò vox illa: Ego, damnatique ceteri nil adeò acerbè deploramus, quàm vitę tępus inter flagitia perditum. Eheu, vel horulâ vnicâ impetrare licuisset, quod omnis deinceps æternitas negabit.

O dictum verum, sed heu nimis etiam serum! Hinc optimus plurimorum mos est, singulis horis animum cælo attollere eiuscemodi verbis: O Dominus meus, & Deus meus, iterum-consumpsi horam, cuius erit reddenda ratio: Miserere mei Deus, nunc & in fine vitæ meæ, *m.*

m. *Vide Horologiũ Angeli Tutelaris, Hora 2. Diei. §. 3.*

§. 3.

Iam igitur vtiliſſimè gemimus, iam lacrimæ, ſi velimus, gemmę ſunt, iam opportuniſſimè flemus, ne ſemper gemendum, ne flendum ſit æternùm.

Cùm Macedonum regi Alexandro, multa de matre ſcripſiſſet Antipater, quibus perlectis: Ignorat Antipater, ait rex, vnicam matris lacrimam, multarum calumniarũ epiſtolas eſſe deleturam, *n.* Idem ego pænè de noxijs inferorum capitibus dixerim: Damnati ſuauiter ignorare voluerunt, vnicâ lacrimulâ ſed ſeriâ & maturâ noxas omnes aboleri poſſe.

Eam ob cauſſam Bernardus: Quis, inquit, dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrimarum, vt præueniam fletibus fletum, & ſtridorem dentium, & manuum pedumque dura vincula; & pondus catenarum prementium, ſtringentium, vrentium, nec conſumentiũ, *o.* Ibi erit fletus. Vnius Matthæi ore hoc quater repetitũ: *Filij autem regni eijcientur*

C *in te-*

n. *Plutarch. in Alexandro.* o. *Bern. ſerm. 16. in Cantica.*

in tenebras exteriores, Ibi erit fletus & ſtridor dentium. Idem ingeminatur: *Et mittent eos in caminum ignis, Ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Inter nuptialia gaudia in malè veſtitum pronuntiatur: *Mittite eum in tenebras exteriores, Ibi erit fletus & ſtridor dentium,* p.

Non caret fletus ſolatio, cùm mortuus, qui defletur, etiamnum in ædibus eſt, ſed vbi effertur non rediturus, cùm in ſcrobem deijcitur ante iudicij diem non emerſurus, hic nimbi lacrimarum fluunt, hic mœſtiſſimum vltimumque Vale dicitur: Sic omnis in Orbe hoc ploratus ſuum habet ſolatium. Imò, quemadmodum qui flere ſe ſomniant, finito ſomnio ſiccas deprehendunt genas, & triſte ludibrium mirantur: ſic vbi poſt fallacia vitæ ſomnia ad æternitatem euigilauerimus, noſtras ipſi ſteriliſſimas lacrimas & mirabimur, & damnabimus. Verè ſomniantium hic planctus eſt, nã, Ibi, Ibi erit fletus & ſtridor dentium, idque ob infandos dolores.

Libeat, oro, experimentum eius rei vel

p. *Matth. c. 8. v. 12. & c. 13. v. 42. & 50.*

vel leuissimum subinde sumere: digitus ardenti sed gracili cereo admoueatur per partem horulæ. Prô quanti quiritatus, eiulationes quantæ audientur? Totum hominem putabis rogo iniectum, cùm solùm extrema pars digiti vratur. Quid quæso hæc ludicra, hæ pictæ flãmulæ ad gehennam? Ibi erit fletus, ibi stridor dẽtium erit. Fletus ab igne, dẽtium stridor ab inexplicabili frigore proueniet. Sed & illud hic significatur, damnatos integerrimis semper sensibus pati.

In febrientibus id obseruare est, in quibus quia viuacior etiamnum doloris sensus, ideò hoc dentium concussu vim morbi frangendam putant: ita damnati suos cruciatus viuacissimo sensu percipiunt, ideò illos velut mitigaturi, & flere dicuntur & stridere, dentemque in dente fatigare.

Iure flebunt, meritò eiulabunt, dum enim viuerent, coram eis Christus crucifixus toto flebat corpore, & sanguinem membris omnibus efflebat, sed frustra; Tutelaris Angelus aures illorum monitis obtundebat, sed frustra; cœlites omnes ad

meliora prouocabant, sed frustra, Deus ipse triginta, quadraginta, quinquaginta, sexaginta, pluribusque annis clamabat & inuitabat ad honestiora, sed frustra omnia. Noluerunt flere breuissimo tempore: fleant igitur omni æuo, fleant æternùm. Clamores monentium neglexerunt audire, clament igitur, & nō audiantur.

§. 4.

Fit nonnunquam vt viator in montis fastigio videat quosdam qui in subiectâ valle periculosissimam glaciem tentent traijcere. Hos ille non tantū videt, sed & periculi monet, ne pergant in præsens ituri exitium. Siquidem non rarò rigente brumâ stagnans aqua, vel amnis mitissimus sed profundus tenui glacie velut crustâ obducitur. In glaciem iniectæ niues tutissimum iter viatori mentiuntur.

Huc vbi vīarum ignari deferuntur, amnem tacitis meatibus serpentem, & glaciem fallacissimam ingrediuntur, tāquam si solidis campis incederent, periculorum securi. At glacies moli corporum

rum impar vestigium fallere, subito hiatu discedere,& ita mergere incautos.

Hoc vbi in colle futurum præuidet periculi gnarus viator, mox vociferari ab alto & monere, ne illac porrò eant, exitio ire proximos; dolosam glaciē declinent,iter aliò flectant.

Fidelissimum hunc clamorem si viatores in valle,aut non audiant, aut contemnant, in suum ipsi properant interitum. Fallit glacies? haurit amnis? frigus perimit? Sibi culpam imputent. Moniti sunt; sed audax temeritas spreuit monita:Suo perit vitio,qui sic perit.

Haud aliter Deus, diuiqúe cælites ab alto clamabant olim,sed etiam nunc clamant: Fallacissima glacies est Voluptas, recedite;fragili superficie decipit oculos, ne fidite; rumpetur subitò fraudulenta hæc via,ne pergite, certò submergendi. At illi proteruo risu monita eludentes,in pericula certissima nimis quàm animosi securo pede pergebant, in glacie tam insidiosa non tantùm viam reperturi, sed etiam choreas ducturi.

Ita ibant,ridebant, iocabantur, saltabant:

bant: ſubitò rupit glacies, ſubmerſi miſeri, heu non ampliùs emerſuri; ſepulti ſemper, nunquam mortui, nunquam morituri, & tamen morituri ſemper. Iam lamentantur & plorant: fruſtra. Non audierunt moniti, iam nec monentes nec flentes audiuntur. Pereant, quos tam pertinax pereundi libido tenuit.

Amantiſſimus Deus ſatis diu ſatisque validè clamauit: nemo audijt. *Vocaui*, ait, *& renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret; deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, Ego quoque in interitu veſtro videbo*, q.

Chriſtus quamdiu, & quàm contentè clamabat? Beato Luca teſte, Ipſe iter faciebat per ciuitates & caſtella, prædicans & euangelizans regnum Dei. Et hęc dicens clamabat, qui habet aures audiẽdi, audiat. Quid obſecro clamabat? *Va vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis*, r. Perinde ſi dixiſſet: En, vaticinor, hæc

q. *Prouerb. Cap. 1. Verſ. 14.* r. *Luc. Cap. 6. Verſ. 25.*

hæc glacies, quam infistitis, fallet vestigium; mergemini; breues cachinni fletu finientur nunquam finiendo. Sed surdis cantabatur fabula; iam non surdos cruciant tormenta.

§. 5.

Hic monitum instillo saluberrimum. Hoc agamus, cùm in miseriâ sumus & aduersis premimur, saltem hoc vnicum cogitemus: Si miseria hæc duret æternum; si istud semper sentiam, in quantum id excresceret tormentum vel sola diuturnitate? Ah, vel muscæ, vel culicis punctiuncula, si tamen sit æterna, quàm inexplicabilis cruciatus pronuntiabitur? Quis igitur horror exercebit damnatos vel ob vnam hanc, sed assiduã cogitationem: Hic ignis æternùm ferendus, hic vlulatus æternum audiendus, hic fœtor æternùm olfaciendus. Atque hinc fletus multò quam amarissimus; hinc horror sempiternus.

Terror, tremor, eiulatus, angor vndique opprimet Stygis ergastulos, *f.*

f. Sic olim vocati serui, qui in ergastula compingebantur.

Quia verò hæc ſupplicia nullę annorum centuriæ, non Olympiades, non luſtra, non ſæcula, nullæ ſæculorum myriades exhaurient, rectiſſimè Iobus Sempiternum horrorem nominat, *t*.

Ægro ſubinde nox vnica cenſetur anno longior: quot ergo annos, quot ſæcula vnicus damnatorum annus includet, cuius nullum deſignare ſit momentum, quod non occupet mors acerbiſſima. Æternus mœror æternæ mortis comes eſt.

Narrat Ioannes Climacus, in obeundis monaſterijs hominẽ religioſum à ſe viſum, qui continuis ferè lacrimis madebat. Hunc ipſum ſuper ea re placuit interrogare. Mi frater, aiebat Climacus, quid obſecro cauſſæ eſt, quòd adeò vberes tibi ſint oculi, vt pænè nunquam nõ aquas ſtillent? Ille diutulè cunctatus, id demum reſponſi dedit: Ego Pater, perſuaſiſſimus ſum, non cœnobitis, ſed Chriſto & Apoſtolis me ſeruire. Et quia ad focum & ignem mihi hærendũ (cœnobij cocus erat) aſſiduis cogitationibus

t. *Iob. Cap. 24. Verſ. 19.*

bus ignes illos æternos voluo. Hoc lacrimas ciet, *u.*

Cogitatio prorsus saluberrima, inferorum rogos, damnatorum fletus animo versare. Illic, inquit Cyrillus, ingemiscunt assiduè, nec vllus miseretur; clamant de profundis, & nemo flectitur; lamentantur, & nullus eripit. Hæc lamenta præcogitando cauentur.

u. *Io. Clim. gradu 4. de Obedientia, post initium.*

§. 6.

Miserunt olim è monte Nitriæ religiosissimi viri complures, iunctisq; precibus Macarium rogarunt, ingenti plurium desiderio id daret, & in Nitriam veniret, alioquin sciret, subito plurimorũ aduentu se obruendum, si venire cunctaretur. Persuaderi se passus Macarius non distulit venire. Hic omnes primùm aspectu tanti viri oculos pascere, dein & aures satiare velle. Itaq; vna omnes Macarium rogant, adderet hanc gratiam, & audiendi auidissimos ad virtutem hortaretur. Expectabantur grandia. At Macarius non verbis sed lacrimis orsus dicere:

Ploremus, inquit, & lacrimas, ô fratres, noſtri oculi producant, antequam hinc eò migremus, vbi lacrimæ comburunt corpora.

Hoc orationis exordium, hoc narratio, & confirmatio, hoc epilogus fuit. Quæ quidem breuis, ſed ſeria cohortatio ſic omnium animos percelluit, vt cuncti lacrimis perfuſi, in terram procumberent, dicerentque: Pater, ora pro nobis, *u*.

Rem dixit Macarius: Lacrimæ, dũ viuimus, lauant; poſt mortem, cruciant; hic ſordes abſtergunt, illic fontes amburunt. Ibi erit fletus, & acerbiſſima cũ dæmonum tum damnatorum comploratio. Fingamus quoſcunque aurium cruciatus, clamores hominum, latratus canum, luporum vlulatus, mugitus boum, rugitus leonum, aliarum beſtiarum fremitus, fragores nubium, deiectus aquarum, & quicquid inamœnũ auribus fingi poteſt, ah quàm id omne nihil eſt ad Orcinianæ plebis deſperatiſſimum fletũ, cuius auctarium eſt ſtridor dentium.

Huc

u. *Pelagius interpres libel. 3. n. 9. apud Roſoveid.*

Huc adsint qui odio inuidiaque æstuant, qui leuiter læsi ringuntur, qui dentes velut apri acuunt, & dentibus infrendũt: hic in damnatis suos agnoscant mores. Vates regius monet: *Obseruabit peccator iustum, & stridebit dentibus super eum,* x.

Vitam nostrã inspice, & videbis quomodo alter in alterius exitium attentissimis oculis collineet. Sed quas demum vtilitates hic sequimur? Vnum hoc spectamus, vt quâ parte patet aduersarius, ea ictum inferamus certissimum: lædere, obesse, perdere conamur. Hoc inexplebile odium, hoc insatiabilis agit inuidia. Et velut canes, cùm rixantur, dentes retegunt; ita nos canini homines, aut inhumani canes inter nos agimus, & nonnunquam de osse caluo altercamur.

O Inuidi, odijsque exacerbati, quid Stygios canes æmulamini, cur mores damnatorum induitis? Ibi, ibi erit fletus, ibi stridor dentium. Quisquis æternum illud Væ capit, inuidiam omnem ac odium ponit, illud mente memori

x. *Psalm.36. Vers.12.*

volutans: Nec oculus vidit, nec auris audiuit, quæ Deus præparauit deserentibus se. In Tartaro fletus, in Paradiso cōcentus erit, quem nulla vnquam auris audijt. Tui arbitrij nunc est, aut illum fletum, aut hunc concentum incipere. Aut hunc, aut illum nunquam finies.

Caput IV.

Tertium Aeternitatis Tartareæ tormentum.

FAMES.

ERhetorū scholâ optimus magister Quintilianus dicere non est veritus: Felix pestilentia, felix pręliorum strages, denique omnis mors facilis. Fames aspera, durissima necessitatum, deformissima malorum, *a*. Infandum malum sit necesse est ad quod mala maxima in pretio haberi possint: Talis est Quintiliano fames, inter maxima mala, non indignum sceptro malum. Nec sine ratione hoc asseri-

a. *Quintil. declam. 12. §. 21. med.*

ſcritur. Siquidem tam è veteri quam recenti hiſtoriâ liquet, extremâ & letali fame hominem eò furiarum ſubinde redigi, vt ſuas ipſe carnes auidiſſimis dentibus diſcerpat, & corpus infelix alat minuendo corpus. Zeno Imperator hoc fecit, prius ſepultus quàm mortuus, *b*.

Itáne verò nouemdialis Fames, tam acerbum leti genus, vt ad illud mors omnis inter mitiora ſupplicia referri poſſit? Quid igitur fames decennalis, quid ſæcularis; quid fames mille, aut millies mille annorum erit, cui nec micula nec guttula ſolatio erit, nec eſſe poterit, cui res & ſpes omnis eſt adempta? De hac veriſſimè dixerim: Duriſſima neceſſitatum, deformiſſima malorum Fames.

Hoc furibundum malum, Æternitatis illius luctuoſiſſimæ Tertium eſt Tormẽtum. Minatus iam olim hoc ſupplicij propheta: *Famem*, inquit, *patientur vt canes*, c. Ille quidem miſerrimus eſt, qui cùm cupit edere, quod edat, non habet: ſed ille longè miſerior eſt, qui ſemper cupit

b. *De quo Caſ. Baron. ad Ann. 491. Ex Ennodio, Zonara, &c.* c. *Pſal. 58. Verſ. 7.*

cupit edere, quem furibunda ſtimulat fames, ſed quod edat, nec habet, nec habebit vnquam. Atque, quod amplius, quem non tantùm fames extrema, ſed & ſitis vehementiſſima cruciat. Talis eſt fames ſitisque damnatorum. De his hoc capite diſſerendum.

§. 1.

Minatur Chriſtus ſeriò: *Væ vobis, qui ſaturati eſtis, quia eſurietis*, d. Ea vos fames opprimet, quæ non vnius diei, aut menſis, aut anni ſit; nec cui plurima, ſed cui deſint omnia. Nemo miculam, nemo dabit guttulam, nec dare poterit. Priorum delitiarum memoria tormentum erit, & accendet famem, vt gulæ noxam comitetur gulæ pœna, & ſuum delicto reſpondeat ſupplicium. Teſte Sapientiâ, *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, e.

Variè prorſus delinquit gula. Primò quidem cùm nimium cibi potuſque ingeritur, vel reclamante ſtomacho, qui ſæpiſſime non inediam queritur, ſed nimiam ſagenam. Sunt autem & ſtomacho ſua

d. *Luc. Cap. 6. Verſ. 25.* e. *Sap. c. 11. verſ. 17.*

ſua verba, ſunt & clamores. Quoties is indignatur, & ructu frequenti clamat: Obruor, ſuccumbo, deſtruor, pereo. Nimijs beneficijs enecor: refocillari vellem, non farciri; ali, non opprimi. Non ego cibo, vt culcitra tomento implendus ſum. Hæc mihi beneuolentia magis officit, quàm odium & inedia. Hæ ſtomachi querelæ ſunt. Chryſoſtomi dictum eſt: Quod neceſſitatem in edendo excedit, id non alimentum, ſed peſtis eſt. Satietas morborum omnium origo, *f.* Hæc prima gulæ noxa eſt, nimium referciri.

Altera, cibis adeò delicatis aut pretioſis inhiare, vt neceſſe ſit, omne perſcrutari profundum, & conchylia vltimi maris ex ignoto littore eruere. Vltra Phaſim cari volunt, quod ambitioſam popinam inſtruat. Quod diſſolutus delitijs ſtomachus vix admittat, ab vltimo portatur Oceano. Gulæ omnia nota faſtidienti vndique cõuehitur; Orbe toto conquiruntur epulæ, & quantò quid carius eſt, tanto magis ſapit, vti Alagabalus Imperator, mari vicinus nunquam piſcẽ come-

f. Chryſoſt. 3. in c. 2. Ioan. hom. 21.

comedit. Hi famem longè maiorem habent quàm ventrem. Vomunt vt bibãt, bibunt vt vomant, & epulas quas Orbe toto conquirunt, mox eâdem viâ reijciendas ingerunt.

Sed notes velim, illud etiam delicatũ ac pretioſum cenſeri, licet in ſe viliſſimũ ſit, quod à gulâ plurimum deſideratur. Hinc fieri poteſt, vt iſte grauius delinquat fungis edendis, quàm ille perdice aut Phœnicopteri *g.* linguâ. Eſau non ob altilem gallinam, aut ſpadonem capum, ſed ob lentis edulium auidè nimis appetitum reprehenſus eſt.

Tertia gulæ noxa, ſympoſijs ac conuiuijs nimium & temporis & nummorũ tribuere. Apud plurimos in Orbẽ eunt conuiuia, vt inter Iobi filios; & hi vix vllos per annum dies à comeſſationibus liberos numerant; mera viuunt bacchanalia.

Solent ſubinde liberis parentes vaticinari: Væ tibi puer, vbi in exteras regiones amiſſus, delitijs domeſticis carebis: quàm inſuetus eris laboris & penuriæ? Haud

g. Frembder theurer Vogel.

Haud secus his obijciendum: Væ vobis, qui quotidie saturati estis, quàm insolẽtes eritis famis & ieiunij?

Quartum gulæ vitium, ieiuniorum leges temerè violare, aut certè ad arbitrium suum explicare. Hinc sæpius quadraginta diale ieiunium, in decem aut viginti dierũ temperantiã mutatur. Multi ieiunos se credunt, cùm non sunt ebrij. Eò rerum deuenimus, vt solis pænè religiosis familijs ieiunij leges videantur latę. Ceteri, benigniſſimi harum legum interpretes, semper aliquid causſarum habẽt, vt exleges sint. Ad medicus, inquis, & confessarius ieiunij legibus me soluerunt: Nimirum tuis verbis persuasi; aliter, puto, iudicaturi, si minus disertum, aut magis inopem haberent reum.

Quintum gulæ crimen, Ebrietas, plurimorum vitiorum origo, & omnium vitiorum periculosiſſimum, idque ob hanc rationem. Ebrius si subito lapsu aut morbo (quod non infrequens) mortem habeat vicinam, miser nec de noxis dolere, nec animum ad conditorem erigere potest; ita letali culpa oppressus, &

fati

fati sui ignarus ad Æternitatem rapitur, Ah, Mortis & dæmonis mancipium!

§. 2.

Væ igitur, væ vobis qui saturati estis, quia esurietis. Non immeritò dixit Reginaldetus, *h*: Hoc peccato gulæ infiniti homines damnabuntur. Gula imperij est amplissimi, omnibusque vitijs felicissimè patrocinatur. Nimirum, *Hæc fuit iniquitas Sodomæ*, proclamat Ezechiel, *saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius*, i.

Eam ob rem vigilantissimè monet Seruator: *Attendite vobis ne fortè grauentur corda vestra in crapula & ebrietate*, k. Hæc enim vitij huius nequitia est: non corpus solum prægrauare, sed & animum humo affligere ac calcare, immò & Orco præcipitare. Hic fames, hic sitis, hic longissimum ieiunium, *quia esurietis.*

Sed videte quàm nos nec æstimare, nec capere possimus res Orbis alterius, quod miseriæ nostræ pars maxima est.

Quis

h. *Reginald. in speculo finalis Retribut.* i. *Ezech. Cap. 16. vers. 49.* k. *Luc. c. 21. v. 34.*

Quis noſtrum extremę famis experimẽtum ſumpſit? Inde nec noſtræ quidem, nedum Stygiæ famis ſæuitiam expendimus. In obſeſſis ciuitatibus, aut in ſæuis carceribus eius rei ſpecimen præbetur. Eò enim rabies famis adigit, vt non ſolũ canes, equi, feles, ſed & mures, glires, imò & ſerpentes ac bufones in cibum lixentur ac vorentur. Gramẽ agris euellitur, corium ſcutis detrahitur, & cibus eſt: columbarum pecudumque aliarum excrementa in hominum alimenta tranſeunt, fame rabidâ cogente, quæ nec chariſſimorum quidem corporibus parcit.

Cambyſes rex, quod Annæus refert, ingentem bello turbam per inuia perq; arentia in Æthiopiam trahebat. Sed cõmeatibus nõ prouiſis, nec itineribus exploratis intra primum iter neceſſaria decrãt, nec quidquam ſubminiſtrabat ſterilis & inculta, humanoq; veſtigio ignota regio. Suſtinebant famem primò tenerrima frondium, & cacumina arborum; tum coria igne mollita, & quicquid neceſſitas cibum fecerat: poſtquam inter arenas herbæ quoque & radices defecerant,

fecerant, apparuitque inops etiam animalium solitudo, è militum numero decimum quemque, alimentum habuerũt fame sæuius, *l.*

Parum hoc: multò sæuiora fames dedit spectacula. Quot matres suum sanguinem, liberos suos, velut pullos gallinaceos iugularunt, suis ausæ dentibus membra conuellere vel proprijs membris chariora. Parum & istud videri possit ad immitiora collatum. Quoties in carceribus reperti qui seipsos & suas ipsi carnes dentibus fame adacti lacerarunt? Quacunque morsus seu brachijs seu humeris infigi poterat, eò dentes properarunt quantumuis irrita crudelitate, *m.*

l. *Seneca l.3. de Ira C.20.* m. *Vide theatrum crudelitatis Hugonotica.*

§. 3.

Ad rem: Hanc famem quam vel oculis est cernere, non satis capimus, & quomodo illam inferorum atrocissimam, æternam famem capiemus? Quò furiosior est fames nostra, hoc & breuior; illa verò licet sit furiosissima, eadem tamen

men etiam est æterna. Væ vobis, quia esurietis.

Heu qualis est ista regio, quæ crudas carnes equinas, mures & bufones, stercus columbinum, pro delitijs appetit, & ea impetrare nequit: quæ mori posse, summi beneficij loco ducit, & mortem nusquam inuenit: *Desiderabunt mori & fugiet mors ab eis*, n. Inexplicabilis, æterna fames; intolerabilis, æterna sitis.

His tormentis, & illud est annexum. Aiunt Theologi cælestes delitias adeò futuras vberes, vt omnia beati hominis membra, omnesq; sensus suam sibi beatitudinem sint habituri. Hinc gustatus & lingua tãta Ambrosiæ suauitate, tamque diuino imbuentur succo, vt assiduè beatorum quisque lautissimo epulo videatur refici, idque ad omne, & supra omne votum.

Sic & damnatorum maledicentissima lingua merissimo natabit felle, fel ipsa merum. Prædixit Hebræus vates: *Fel draconum, vinum eorum, & venenum aspidum insanabile*, o. Huic fami, huic felleo liquori

o. *Apocal. cap. 9. vers. 6.* o. *Deut. c. 32. vers. 33.*

liquori dulœdo nulla poterit mederi; cruciatus insanabiles.

His aliqui accessuros putant sæuissimos dentium dolores. Quisquis eos dũ viuit, experitur, illos obsecro post vitam cruciatus cogitet. Et nunquid si apud inferos nulla penitus alia sint tormenta, quàm vel vehemens capitis, aut dentiũ, aut sæuus podagræ vel calculi dolor, si tamen hic dolor futurus sit æternus, quantis sumptibus, quantis laboribus ac doloribus non redimendus sit? Sed hæc timemus, & non timemus, dum maximè timenda hilariter perpetramus.

In hospitijs quandoque genialiter estur, largè bibitur, lætè canitur, saltatur & tripudiatur: at vbi caupo calculum cum hospitibus ponere, & rationes duplicare, *p.* tum hospites hærere, & alternis aspectibus sese intueri, in eas demum voces prorumpere: Vtinam hunc nunquã ingressi simus! Adeò caræ sunt symbolæ, *q.*

Nos etiamnum, quamdiu viuimus, in hos-

p. Wann der Wirth mit zweyfacher Kreiden schreibt. *q.* Theure Zech.

in hoſpitio degimus, & ſymbolarum incogitantes genio indulgemus ad veſperum perpotamus, canimus, ſaltamus, tripudiamus. Quis verò ſoluet ſymbolas? O malè ſecuri! Nos ſoluemus ſymbolas non iniquas, ſed heu peracras! Edimus, bibimus, luſimus; valetudinem decoximus, ætatem & aurum in compotationes iſtas inſumpſimus: demum terret & vrget cauponis calculus; æs alienum perſoluendum creditori ſatisfaciendum vel detergo, ſi aliter nequeas.

Edimus, ſed nimium, ſed delicata nimis & pretioſa; conuiuia ſtruximus, ſed nimis crebra & lauta; ieiunia forſan iniuimus, ſed nimis rara & profana: vino nos ſepeliuimus, nunc edormienda erit crapula. Væ, quia eſuriemus. Æterna fames, ſitis ſequitur æterna. O qualis cena, poſt lautiuſculum, ſed breue prandium! Dum viuerent damnati, merum linxiſſe ſalem videntur, ita furioſè in Orco ſitiunt.

Quàm horribile ſitis tormentum ſit, nemo facilè æſtimauerit, niſi certũ eius rei ſumpſerit experimentum. Ægrotis in

hoc habenda fides, quos ſitis nonnunquam adeò exercet, vt eam inter morbi grauiſſimà numerent.

§. 4.

Hebræus purpuratus gulo linguam inflammatam eijciẽs: Crucior, exclamat, in hac flammâ, & vel digituli ſtillam in refrigerium peto. En, modeſtas preces! Non aquæ labrum, non olei guttam, nõ vini dolium poſtulat. Quod rerum viliſſimum eſt, vel guttulam aquæ rogat, nec tamen impetrat. Eò inopiæ deuenit opulentus hic helluo, vt non calicem cryſtallinum, ſed digiti extremum, non generoſum Creticum, ſed aquæ minimum, non nobilem pincernam, ſed Lazarum mendicum flagitaret.

Sed quid ais, ô purpurate, Lazarus ſcabioſas manus habet; horrebis vtique ab illius digitis ſtillantem aquam. Ah vel guttula, vel Lazari manu detur, & inſtar roſati *r.* nobiliſſimi excipiam.

Nihil tamen impetrat, nemo audit; & aures, & ianuæ ſunt clauſæ. Sed cur Hebræo huic epuloni, in extrema fame fitique

r. Roſenwein.

sitiq́ue, cur obsecro negata guttula? Dixisset hospitalitatis amantissimus Abraham: Detur illi guttula; non iuuabitur: à rore tantillo non mitescet tam vehemẽs flamma.

Sed longè alia viuendi ratio est in Orbe altero. Nam vti cælum gaudia & voluptates offertissimas propinat, sine vllâ vel minimâ mœroris mixturâ: ita Tartarum tormenta ingerit sine vllo vel minimo lenimento, sine solatiolo aut laxamento vllo. Hinc elegantissimè simul & verissimè dixit Hipponensis Prę́sul: Nulla maior & peior est mors, quàm vbi nõ moritur mors, *s.* Ita nulla sæuior lætaliorq́ue fames ac sitis est, quàm vbi fame sitiq́ue letum inferri non potest.

§. 5.

Duo fratres, vti narrant, sapiens & fatuus iter vnà ingressi ad biuium deuenere. Fatuo via placebat amœnior. Sapiens asperiorem præferebat vt tutiorem. Litigatum est diu. Demum cedere maluit sapiens quàm pertinacius contendere. Ita in prædonum insidias delati ambo, &

D in vin-

L. Augustin, l. 6. de Ciuit. c. 12.

in vincula, sed separatim tracti. Inde ad tribunal euocati. Hic sapiens fatuum accusare, & omnem illi culpam impingere: Fatuus in sapientem omnia regere, omnemque illi errorem adscribere. Deniq; iudex ita statuit: Vterque reus est.; & fatuus qui sapientiori debuisset credere, & sapiens qui amentiori cedere non debuisset, *t*.

Sic omnino viuimus. Animus & Corpus fratres sunt, sed valdè dispares. Animus origine suâ nobilissimus, & sapiens, viam asperiorem ad cælum non horret, temperantiam amat, esuritionem non odit, quantum hęc sibi prosint, non ignorat; Spiritus promptus est. At verè Corpus ab ortu fatuum cùm viam varijs amœnitatibus ridentem conspicatur, mox illuc properat; edere, bibere, ludere; bene dormire, labores fugere, otium sectari & ferias, delitias ambire, sui putat esse officij; hæc Corpora sapiunt. Laborare, esurire, vigilare, vt pestem odit fugitque.

Ani

t. Vide Trismegistum meum l. 3. C. 4. §. 2. Vbi hæ fusiùs narrantur.

Animus contra nititur, & prolixè ſuadet, non eſſe mollem ad aſtra viã, ſed aſperam & confragoſam; docetque variè non ei fugiendas eſſe ſpinas qui cupiat roſas. At Corpus ad imperia languidum, ad monita tardum, nihil minus vult quã parere & frugi eſſe. Ita demum cedit Animus, & ſuo Corpus ſubitu permittit ire, ſequiturque mancipium herus. Sic itur & peritur, ſic in medios deuenitur latrones, vitia, cacodæmones.

Hîc gemini fratres ſeparantur, diuerſis carceribus aſſignandi: terra Corpori, Animo gehenna eſt habitanda. Supremi iudicij die ad tribunal ambo ſiſtentur, hîc alter alteri culpam impinget. Quia ergo fatuum Corpus Animi conſilijs parere noluit, & quia prudens Animus petulantiam Carnis coercere non ſuſtinuit, vterque ſceleris damnatus ſupplicio addicetur æterno. Sententia hæc decretoria, inuitabilis, gladius vtraque parte acutus u. per Animum & Corpus tranſadigetur. Atque ideò Chriſtus: *Timete eum*, inquit, *qui poteſt & animam & corpus*

D 2

u. *Apoc. cap. 1. verſ. 16.*

corpus perdere in gehennam, x. vbi tot ſuppliciorum velut condimentum eſt fames ſitisque æterna, nec aliud fami ſitique lenimentum quàm ſulfureum Falernum. *Ignis & ſulfur pars calicis eorum*, y.

x. *Matt.c.*10.*v.*28. y. *Pſal.*10.*v.*6.

§. 6.

At nos ambitioſiſſimę gulę homines, his plerunque parum terremur. Dapes & delitias, cenas & calices ſectamur, quicquid de futurâ fame ſit, z. Conſideratius, obſecro Chriſtiani, conſideratius. Edere, bibere non vetamus, ſed edẽdum & bibendum dicimus, ratione ac conſcientiâ non obluctante, diuinis legibus non neglectis. Spernimus, & audemus, ac in iura diuina delinquimus? In foribus ſtat patibulum: Væ, qui ſaturati eſtis, quia eſurietis,—*furet ardor edendi.*

Vbi culpa, ibi pœna. Plurimas, vt ſuprà demonſtratum eſt, à gulâ noxas trahimus fame ſitique acerbiſſima luendas. Eriſichthon (vt in fabulis eſt) horribili fame correptus

—*quod*

z. Es muß geeſſen ſeyn/ wann ſchon der Galgen vor der Thür ſtund.

—quod pontus, quod terra, quod educat aer
Poſcit, & appoſitis queritur ieiunia menſis:
Inque epulis epulas quærit, quodq; vrbibus eſſe
Quodq; ſatis poterat populo, non ſufficit vni,
Plusq; cupit quo plura ſuã demittit in aluum.
Vtq; fretum recipit de tota flumina terra,
Nec ſatiatur aquis, peregrinosq; ebibit amnes:
Vtq; rapax ignis non vnquã alimenta recuſat,
Innumerasq; faces cremat, & quo copia maior
Eſt data, plura petit, turbaq; voracior ipſa eſt. a

Sic epulas Eriſichthon rapit & abſumit. Sed ſæuiorem hac famem fingamus, & illam apud inferos non æquabit. Somnium eſt omnis eſuritio noſtra, ad illas damnatorum eſuritiones æternas. Hæ iam monent omnem caueri Intemperantiam.

Conuiuæ olim ritu veteri partem cenulæ in menſa relinquebant, quo docerent rebus humanis vtendum, non conſumptâ voluptate, nec ad omnigenã ſaturitatem. Et Germanorum vetus verbum eſt: Hilaritas cùm maximè calet, claudenda, b. Sic ẽ conuiuijs abeundũ,

a. *Ouid. metamorphoſ. l. 8. fine.* b. Wann der Muth am beſten iſt/ſoll man auffhören.

antequã conuiuij epilogus finiatur. Nec verò quisquam tã fatuus est, qui sr sciat tribus quatuórve horis edendi libidinem substringendam, aut certè anno toto esuriendum, nihilominus statim & quàm primum cibos afferri velit.

At verò tam fatui nos sumus, qui licet sciamus abstinentiam & iciunia non multis vitæ horulis duratura, nihilominus pertinaciter volumus, vt modò bene sit, vt iam cuticula mulceatur; hinc voces illæ: *Venite, sumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit sicut hodie, sic & cras, & multò amplius*, c.

O miseri & fatui! paullò post non erit sicut hodie; lætitiam hodiernam tristissimum *Cras* excipiet; saturitatem fames comitabitur, temulentia iustissimè siti torquebitur. Breui occinetur vobis luctuosum illud carmen: Recepistis bona vestra in vitâ vestrâ; ite nunc, nil vobis amplius debetur. Olim epulati estis, iam dies sunt ieiunij: nunc epulantur alij, qui quondam ieiunarunt.

Propter hoc, hæc dicit Dominus: *Ecce*

c. Is. Cap. 56. vers. 12.

Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis: ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis: ecce ſerui mei lætabuntur & vos confundemini: ecce ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ cõtritione ſpiritus vlulabitis, d. Vobis olim, ſed ſurdis, prædicebatur centies, ſexcenties, delitias ſupplicijs perſoluendas. Nemo audijt. *Vocaui, & non reſpondiſtis; locutus ſum, & non audiſtis; & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui, elegiſtis*, e. Nunc longâ, nunc æternâ fame hilaris ſed breuis infamia digerenda eſt; voluptates fugaciſſimæ ſiti perpetuâ piandæ ſunt. Nimis iam ſerum eſt huic fami ſitiq́ue mederi velle. Poſt tale prandium talis cena ſequitur.

Ergo, *Sobrij eſtote & vigilate*, f. Nam, *Fornicatio, & Vinum, & Ebrietas auferunt cor*, g. Qui famem horret æternam, famem modò toleret nec longam, nec ſæuam. *Beati, qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini*, h. Tolerãtiæ Chriſtianę comiuiũ illud paratũ eſt, quod nullo

d. *Iſ. c. 65. v. 13.* e. *Ibid. verſ. 12.* f. *1. Petri cap. 5. verſ. 8.* g. *Oſea c. 4. v. 11.* h. *Luc. cap. 6. verſ. 22.*

claudetur epilogo. Lasciuiæ & Intemperantiæ supplicium illud decretum est, quod nullo finietur termino. Quisquis gehennam sæpius cogitat, gehennam profectò euitat.

CAPVT V.

Quartum AEternitatis Tartareæ tormentum.

FOETOR.

SVaue quidem est viuere, non rarò tamen morte ipsa insuauior est vita. Orator aureus id obseruans: Nemo non ex ijs, inquit, qui liberaliter sunt educati, hic in carcerem coniectus, fœtorem solum, & iacere in tenebris, & in vinculis esse cum homicidis, quauis morte dicit esse grauius, *a*.

Inferos contemplare, & Nullus vnquam (dices) tam teter ac sæuus fuit carcer, nec subterraneus Messeniorum, cui nomen *Thesaurus*, nec horribilis Persarū, cui nomen [illegible], Nec [illegible] Syracusanæ,

a. *Chrysostom. 1. in epist. ad Hebr.*

næ, nec Cretenſium *Labyrinthus*, b. nec Athenienſium *Domus* aut *Barathrum*, nec Romanorum *Tullianum*, nec Cypriorum *Ceramon*, nec Spartanorum *Decas*, nec Gilimeris *Ancon*, nec nominatiſſimus Actiolini carcer, quem omne ſuppliciorũ genus infamauit. Neq; verò in vllis vnquam ergaſtulis tot rei tenebantur captiui, quot ſupremum Numen in grandi ſuo carcere punit damnatos.

Hic Dei ſubterraneus carcer, ſi locũ ſpectes, profundiſſimus; ſi carceris præfectum, crudeliſſimus; ſi loci ſqualorem, fœtidiſſimus; ſi carceris inquilinos, ampliſſimus eſt; innumeros coercet: ſi porrò innumerabilem reorum multitudinem cogites, anguſtiſſimus eſt; ſi carceris diuturnitatem, æternus eſt; omni egreſſu caret, oſtijs omnibus & ianuis obſtructis. Et quia in hunc carcerem totius Orbis colluuies deriuatur, cloaca eſt multò fæculentiſſima, ſpelæum eſt longè graueolentiſſimum. Et hoc Quartum Æternitatis luctuoſæ ſupplicium eſt, intolerabilis *Fœtor*. Quàm verò in-

b. *Quem carcerem fuiſſe putant aliqui.*

fandus hic cruciatus opinione noſtrâ longè ſit maior, nunc explicandum.

§. 1.

Inferorum fœtorem intolerabilem ſacræ paginæ ſæpius cogitandum ingerunt. Diuinus pſaltes: *Pluet ſuper peccatores laqueos*, inquit, *ignis & ſulfur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum*, c. Quemadmodum verò pluuiarum guttæ in numerum cogi non poſſunt, ita nec improborum pœnæ; Pluet. Inſtar imbris aut torrentis vehementiſſimi præcipitabunt in eos tormenta. Pluet laqueos, ſic enim vincientur, vt horum captiuorum nullus elabi aut effugere, nullus hæc vincula rumpere, parietes perfodere nullus queat; profundiſſimis ſpecubus claudentur. Pars illorum erit in ſtagno ardenti, igne & ſulfure, d.

Hîc in rem præſentem venire ſic licet: Animum quæſo aduertamus. Sulfurati e vel vnici fœtor quantus eſt? Iungantur centum, iungantur mille, quàm acrem ſpargent graueolentiam? Hæc tamen nihil

c. *Pſal.* 10. *verſ.* 6. d. *Apoc. cap.* 21. *verſ.* 8.
e. Ein einziges Schwebelhölzlein.

hil est ad Orcinum sulfur. Atque hic Auernalis fœtor à varijs caussis erit.

Prima, post Orbem vno quasi funere elatum, post supremi iudicij diem, omnia terræ purgamenta in illam inferorũ sentinam defluent, eâ enim ratione Orbis purgabitur. Psalmographus prædixit: *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*, f. Hoc vaticinio nixi theologi aiunt, Ignem ante Orbis iudicem, velut apparitorem ac satellitem præcessurũ, & ad tribunal substituturum, dum iudicium omne peragatur. Vbi demum decretoria sentẽtia fuerit prolata, ignis ille fulminis ritu præcipitabit, & velut lictor noxium gregem inuadet, vinciet, inuolutque, vt nec minimum vel vlli pateat effugium. Sic vnà omnes velut catenatos canes in antra destinata rapiet, *Inflammabit in circuitu inimicos eius.* Cum hac ingenti damnatorũ ruina; cum hoc igne simul omnis eluuies & cænum Orbis in cloacam illã defluet. Nam inferi verè sentina terræ, omnis inquinamenti receptaculum.

f. *Psal. 96. vers. 3.*

Altera fœtoris cauſſa, ſulfur, de quo Domini ocellus Ioannes: *Pars*, inquit, *illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulfure, quod eſt mors ſecunda*, g. Tablinum cæleſte, ſeu, volumen ſacrum quam omnium vocularum obſeruans eſt! in *ſtagno*, ait, quod immobiles & fœtidas alit aquas, non decreſcit, non emittitur, non ſiccatur. Poſt mille annos hoc ſtagnum ſibi ſimillimũ erit; poſt triginta, poſt ſexaginta annorum millia nihil ſui amittet; poſt centum millia, poſt mille myriadas ſeu milliones annorum, ſtagnum illud nec vna quidem guttula inaruiſſe ſentietur. Sicut erat in principio, ita tũc, & in ſæcula ſæculorum erit.

Deinde hoc ſtagno mergentur, quî prius ſuum ipſi animũ cupiditatibus ac libidinibus merſeruant. His demum thermis, ſulfureo hoc natabulo, his ſudatorijs lauabuntur. Atque hos fœtores ab experientiâ melius diſcemus. Si piſcina emiſſa pleriq; omnes piſces mortui, diebus aliquot non amoueãtur, tam incredibilem vndequaq; ſpargunt fœtorem, vt eò

g. *Apoc. Cap. 21. vers. 8.*

vt eo loci nullus quamuis sub dio, quãuis non toto die, perdurare possit. Quod igitur tormentum erit apud inferos, terrimam Mephitim habitare, nec inde vel pedem efferre posse in omnem æternitatem. Sordidissima fœtidissimaque opificia longior assuetudo reddit facilia. At verò cruciatus Auernales nulla vnquam assuetudine poterunt mitigari.

§. 2.

Tertia fœtoris illius causa, ipsa damnatorum corpora, omni cadauere fœtidiora. Prædixit Isaias: *De cadaueribus eorum ascendet fœtor*, h. Vnius fœtore omnes, & vnus omnium fœtoribus torquebitur. Caro verminans & putrida in prunis, ô quale thus! In Luciferi regno innumera damnatorum cadauera, velut putridæ carnes, inter prunas assiduè iacebunt.

Libidini quidem furiosa vis ineſt, quę ipsam etiam rationem calcat; sed effrenes hi impetus coerceri possunt, præsertim si frenum libido pati maturè discat. Eam ob caussam in eremo Scythica vir religioſiſ-

h. *Is. Cap. 34. vers. 3.*

gioſiſſimus libidinis impetum ſic repreſſit. Sæpius ei recurſabat feminę olim non ignotæ forma. Hanc ille memoriam, has & cogitationes è pectore penitus eliminandas cenſuit. Diu laborauit, animosè certauit, & non vno tantùm ariete ſeipſum fregit, nec tamen aliud ſibi profeciſſe videbatur, quàm ne victus eſſet.

Submiſit interim diuina prouidentia hominem ex Ægypto, qui mentione temere iniectâ, feminam illâ formâ præſtantem fato conceſſiſſe narrabat. Excepit dictum hoc athleta Chriſti, & in rem ſuam ſuper eo deliberans, id demum reperit conſilij. Tugurium ſuum Superis committit, & ad defunctæ feminæ ſepulchrũ properat. Hîc ille fœdum Cupidinem triumphaturus, rem ſic aggreditur. Noctu à tumulo ſaxum amolitur, terrã egerit, & ad cadauer penetrat. Vbi ſeipſum affatus: En, inquit, theſaurum tuũ: en tuas delitias: quin aufers rem tibi chariſſimam? Pars certè de hoc auro, quod effodiſti, aſportanda erit. Dixit, & fecit, furtoque religioſiſſimo partem mortua-

lis

lis velâminis ſanie ac tabo bene ſaturatam abſtulit.

Regreſſus in caſam ſuam, bene olentem hanc prædam ſub ipſos oculos poſuit aſſiduè aſpiciendam. Hîc ſeipſum iterato ſcommate laceſſens: En, inquit, habes quod appetiſti; fruere, ſatiare. Explè oculos, paſce nares; imò totus hîc naſus fias: cogita hoc eſſe ſtrophium à charâ tibi feminâ miſſum: quin ori ac naribus propriùs admoues tam pretioſum linteum?

Ita generoſus hic athleta tamdiu fœtore ſe cruciauit, dum ſordidas cogitationes victor ab omni animo extirparet, *i.* Ita libido quantumuis potens ac furibunda ceſſit fœtori. Ita certiſſimus ille iaculator, nequiſſimus Cupido graueolentia victus fugatusque.

Cogitemus hîc obſecro non partem ſepulchralis lintei, non cadaueris vnius membrum, ſed cadauera damnatorum innumera Mephitim exhalare graueolentiſſimam, neque id pauculos dies, ſed in omne æuum.

Diuus

i. Lib. ſententiarum patrum §.10.

Diuus Bonauentura ausus est dicere: Si vel vnius damnati cadauer in Orbe hoc nostro sit, Orbem totum ab eo inficiendum.

§. 3.

Quarta fœtoris causſa, dæmones ipsi, qui licet spiritus sint, hanc tamen corporum graueolentiam secum trahunt, estque tam Auerni quàm diabolorum ita proprium *fœtere*, vt priscis vsitatissima vox fuerit *Graueolens Auernus*.

Narrat Seuerus Sulpitius Tu onensi præsuli Martino cacodæmonem diademate ac purpura prænitentem sese exhibuisse, & hæc insuper dixisse: Scies, Martine, qua ratione me venereris; Ego sum Christus. At Martinus, ne mendaciorum patri crederet, monitus ab alto: Nõ hoc schemate, inquit, venturum se Dominus meus promisit. Christum cruentum, spinis redimitum, in trabe pendentem noui; peregrinum hunc regem non noui. Vix ea dixit, & personatus hic Christus euanuit. Et vt sciretur, quis ille rex, & è quo regno fuisset, cubiculum tam horribili fœtore impleuit, vt Martinus

nus iam apud inferos se habitare crederet, & secum ipse ratiocinatus diceret: Si vel diabolorum vnicus sic fœteat, quis oro tam diabolorum quàm damnatorũ hominum fœtor erit?

Rex Antiochus Epiphanes, seu, Illustris, scelesti hominis pulcherrima effigies, cùm tãdem Nemesin in tergo sentiret, iamque membra illius vermibus ebullirẽt, adeò fœtebat infelix, vt omnis exercitus hanc narium pestem extremè auersaretur: Imò, quod diuina oracula testantur, nec ipse iam fœtorem suum ferre poterat, *k*. Et quomodo tandem inquilinus Tartari, tam dæmonum quã sociorum omnium fœtores perferet; idque in æternum?

Mezentius rex Tyrrhenus, Antiocho non impar, hominum diuumque contemptor, eo ingeniosæ crudelitatis progressus est, vt plurimos non securi, non cruce, non rogo, sed fœtore iugularet. Nam homini mortuo iamque tabescen-
[illegible]num colligabat, dũ viuus astricti ca-
[illegible] putore extingueretur. Maro as-
[illegible]t: *Mortua*

k. Machab. Cap. 9. vers. 11.

Mortua quin etiam iungebat corpora viuis,
Componẽs manibusq́, manus, atq́, oribus ora
(Tormenti genus) & ſanie taboq́, fluentes
Cõplexu in miſero longa ſic morte necabat. l

Supplicium horrendum, ingens, & tantò immanius, quãtò lentius. Sed quid hoc ad inferorum ſupplicia comparatũ, quid pauculorum dierum fœtor ad Erebi cloacã fœtoribus ſempiternis execrabilem? Cùm igitur noſtros ignes, cũ rotas crucesque noſtras, cum noſtros pædores ad illos tartareos expendimus, iure proclamamus:

O mites Diomedis equos, Buſiridis, m.
Aras clementes!------ n.

O mite Mezentij tormentum, vni duntaxat cadaueri alligatum mori! Sed ô mortem omni morte horribiliorem, tot dæmonum, totque damnatorum teterrimis fœtoribus torqueri, & ſemper mori, nec tamen vnquam finire, nunquam emori.

l. *Virgil. l. 8. Æneid.* m. *Qui hoſpites ſuos ſuis equis deuorandos obiecit.* n. *Qui Ioui eos immolauit.*

§. 4.

§. 4.

In Iaponum ergaſtulis hodicq; Chriſtiana generoſitas ſic exercetur, vt plures in fœdiſſimam caucam compingantur : nullus illinc egreſſus niſi ad gladium, aut ad crucem, aut ad ignem. Quicquid hîc edunt captiui, quicquid ingerunt egeruntque, ſecum retinent, incredibili nariũ tædio ac cruciatu. Hinc Iaponius ille carcer, & ergaſtulum, & ſtabulum eſt, Augiæ *o.* regis ſtabulo longè immundius, & ipſa morte tetrius.

Et quia carcerum in Iaponiâ mentionem iniecimus, en ergaſtuli Iaponij viuũ ac recens paradigma.

Carolus Spinola Patria Genuenſis, ſtirpe Marchio, è Societate IESV ſacerdos, antequam pro Chriſti fide viuus combureretur, hunc in Iaponiâ carcerẽ quadriennio habitauit.

Latus erat hic carcer palmos *p.* ſedecim, altus non niſi duodecim, longus viginti quatuor, prorſus ad inſtar caueæ factus.

o. In quo tria millia boum; quod annis triginta nunquam purgatum.

p. Spann mit Schritt.

factus. Nam neque muro nec pariete ligneo constabat, sed contextus erat è palis quorum singuli duobus digitis à se invicem distabant. Hinc captiui omnibus iniurijs cæli patebant. Nam etsi hæc cauea tegulis esset tecta, quia tamen pali erant disiuncti, sicut in corte auiaria videre est, r. non frigus tantùm aut æstũ, sed ventos, pluuias, niues, omnemque tempestatem admittebant. In hac cauea triginta duo captiui erant cõclusi. Fores carceris istius serâ claudebantur, erantq; adeò angustæ, vt vix transitum darent corpori humano. A latere patebat fenestella, lancis vnius magnitudine, quâ captiuis cibum satellites inferebant. Circuibat carcerem via lata octonos palmos, atque hanc duplex obibat sæps, depacta exarboribus densis longisque, & in cuspidem acuminatis, quas spinæ supernè induebant. Vnico aditu, sæps ista ingressum dabat. Erant præterea duabus in partibus ę dificatę domus, vna pro statione vigilum, qui diu noctuq; excubabant;

r. Wie in einem Vogelhauß klein oder Hennenkorb.

bant; altera in vsum Decurionis, qui crebrò circitores iubebat circuitionis fungi munere. Reliquum denique loci includebatur septo bene munito, in quo princeps porta, & via quæ ad interioris sepis ianuam ducebant. Huiusmodi facies custodiæ fuit, in quâ tot annis illustris ille pugil vixerat, ex eâ nunquam, ne quidem intra septa expatiatus, satellitio egressum prohibente. Alia verò quæ custodiæ huic accessere sæua, vix cogitatione, nedum verbis explicari queunt. Singuli corporis sensus proprijs conflictari doloribus cogebantur.

Magna erat inprimis loci angustia, vt neque procumbere nisi ægrè, neque ambulare vel ad passus spatium possent. De hac Caroli litteræ ita testantur: *Angustè admodum habemur, neque enim quisquã plus habet spatij quam duorum palmorum & trientis.* Hinc noctu non potuerunt sese ad capiendam quietem extendere.

Iam victus parcitas respondebat angustijs carceris. Vita illorum perpetuum erat ieiunium, adeoque asperum, vt satis quidem cibi suppeteret ad arcendam mortem,

mortem, ſed nunquam ad comprimendam famem. Ordinariæ epulæ erant duę lances oryzæ frigidæ, aqua purâ coctæ: præterea à paropſis vna Xiri. Sorbitio eſt herbis ingratis mixta, tamq́ue amara vt hauriri vix potuerit. Ad hæc exiguum quid radicis crudę ac falſæ, aut par vnum halecularum calidâ frigidáve ſalitarum. Hinc captiuos tanta vexabat fames, vt cũ ſatellites aliquot fruſtilla obtuliſſent panis malè ac ſine fermento cocti, iamq́; indurati, quiſque illorum comederit, ac ſi collyra vel panis ſaccharites foret, *ſ.*

Quia verò hic carcer in edito colle poſitus erat, ventorum vim omnem excipiebat. Ac licet per æſtatem ſpirantibus vndequaque ventis moleſtia nonnihil leniretur, feruentiſſimi tamen ardores, ſolaribus radijs omni ex parte penetrantibus, ipſ q́ue numerus captiuorum adeò incommodabant, vt affirmarit Carolus, diurnis nocturnisq́ue ſeſudoribus maduiſſe. Hieme autem id omnino reddebatur intolerabile, cùm neque gelidus aer excludi, neque pluuiæ & imbres arceri,

ſ. Semlen oder Marzepan.

ceri, neque niues, quæ vento per omnem partem ingerebantur, intercipi poſſent. Tantò autem acerbior erat frigoris ſenſus, quantò grauior veſtimẽtorum, quibus tegebantur, inopia, quorum nullam facultatem ſupportari ſatellites permittebant. Hoc Carolus ad Patrem Prouincialem perſcribens: Aſſeuero, inquit, Reuerentiæ veſtræ, neminem eſſe è nobis, qui, æſtimato inferioris appetentiæ ſenſu, non mallet viuus concremari quàm hunc carcerem ferre. Nam omnes à veſtibus pænè nudi ſumus. Neque vigiles vel tegetem concedunt flatibus, imbribus, niuibuſq; arcendis, planè vt immane ſit frigus.

Loci frigoribus affectus interijt Ambroſius Fernandez, annos nouem & ſexaginta natus Caroli in cuſtodia comes, qui paralyſi grauiſſimâ correptus, ob copiã, vt aiebant, niuium, duodecim horarum ſpatio & morbum & vitam finijt.

Ne verò deeſſet ſuus quoque cruciatus oculis, noluerunt milites lumen in carcere per noctem accẽdi, vt in tenebris fuerit exigenda. Quâ in re tanta vigilum

gilum extitit pertinacia, vt ne lucernulam quidem câ nocte, quâ Ambrosium repentina vis morbi inuasit, Carolo quantumuis obtestanti concesserint.

Sed grauius omnibus hos Christi pugiles vexabat continuus Fætor, de quo nobis iam sermo, cuius mentionem Carolus in epistolâ inijciens: Incitat me, inquit, grauitas odoris, vt ad cælum suspirem. Nascebatur hæc graueolentia ex multitudine hominum tam angusto loco clausorum; ex flatuum aeriſq; corruptione; ex præsente cloaca, in quam exonerare aluum cogebãtur; ex sudore corporum quæ æstate nunquam siccabantur. Cùm nimirum vetaret miles, aut recentibus linteis mutare obsoleta aut lauare iam inquinata: vt de Carolo speciatim scribatur, quòd triennio toto neque induſium, neque vestem commutarit. Hinc tanta pullulabat animalculorum sordium q; vis, vt morsibus aculeisq; captiui miserrimè confixi, nullam vnquam caperent partem quietis. Atque vt experirẽtur viui, quod mortui nullo doloris sensu post vitam tolerant, à summo ver-

tice

tice ad imos vſque pedes omni genere vermium è corruptâ materiâ natorum erant cooperti : quæ materia (quoties plucbat) exundante latrinarum cloacâ, pauimentum cuſtodiæ inundabat. Torméti genus multò atrocius quàm primâ ſui facie æſtimari poſſit. Aduerſus hos cruciatus non aliud illis ſuppeditabat remedium quàm patientiæ , viuæque in Deum fiduciæ. Patientia certè illorum tanta erat, vt Carolus in litteris affirmet; Hoc ergaſtulum mihi paradiſus eſſe videtur, *t.* Et reuerâ hic talis carcer, quâuis ipſa morte atrocior, ſi tamen ad inferorum carceres comparetur , paradiſus eſt, *u.*

Ideò beatus etiam Hieronymus de ſeipſo : Ob gehennæ mètum, inquit, tali me carcere ipſe damnaueram , ſcorpionum tantùm ſocius & ferarùm , *x.* Qui carceres flammeos contemplatur, nullas habitationis anguſtias accuſat , omnem carcerem paradiſum æſtimat.

t. *Littera ad P. Sebaſtianum Viera* 20. *Febr. Anno* 1620. *Scripta.* u. *P. Hermannus Hugo in vita P. Caroli Spinola C.* 14. x. *Hieron. to.* 1. *epiſt.* 22. *ad Euſtoch. c.* 3.

§. 5.

Hic obſecro in rem noſtram ita ratiocinemur: Sint inferi nil aliud quàm fœdus frigidusque carcer, vbi vno ſub fornice captiui mille inter ſordes & vermes nec ſedere commodè, nec iacere poſſint; vbi cibus oryza nigra, potus aqua fæculenta; vbi fames, fœtor, dolor vix quidquam ſomni admittant, idque vel mille duntaxat annis tolerandum ſit: Nil aliud, inquam, ſint inferi, quàm talis, vt dixi, carcer. Nihilominus quis non tremat, vel audito tantùm hoc inferorum nomine? Verùm, ſi rem hanc omnem ad æqui verique, & ad ſacræ paginæ libelli placeat expendere, id luculentè deprehendemus, fœdiſſimos Iaponum aut quorumcunq; barbarorum carceres ad Tartarum collatos, viridarium & delitias, paradiſum & amœna tempe cenſendos. Ratio luculenta eſt. In noſtris carceribus ſaltem aliquid & cibi & ſomni eſt; ſunt quieſcendi horulæ: in Tartaro, nec cibus, nec ſomnus, nec quies vlla eſt; illic oryza nigerrima, foret ambroſia; nectar eſſet cænoſa aqua. In noſtris ergaſtulis,

ſtulis, nemo mille hiemes numerauit vnquam, in inferorum ſedibus, quod omnium luctuoſiſſimum, centum millia annorum nec vnum quidem punctulũ Æternitati demunt; poſt mille milliones annorum eadem eſt, integerrima eſt etiam tunc Æternitas.

Deinde noſtri carceres quamuis multum formidandi, ſunt tamen extra flãmas, & in ſolatium habent Mortis ſagittas. Damnatorum ſpecus & flammis pleni ſunt, & à Mortis futuræ iaculis defenſi non ſunt. Siquidem apud inferos mors ſemper præſentiſſima eſt, ſed mors ſine morte; mors aſſidua ſine fine duratura.

Heu quàm hæc non cogitamus, quã non expendimus omni horâ cogitanda, omnium ſolertiſſimè expẽdenda! Bernardus hac in re longè conſideratior: Totus tremo, inquit, atque horreo ad memoriam huius regionis, & concuſſa ſunt omnia oſſa mea. Locus in quo vermis immortalis, fœtor intolerabilis, malli percutientes, tenebræ palpabiles, y.

y, *Bern. ſerm. de 5. regionibus.*

O euigilate non iusti tantùm, sed & iniusti, & vos maximè luxurioſi; euigilate & luxurioſorum præmia præuidete; guſtate ſaltem quàm amarus ſit Orcus, ſi guſtare recuſatis quàm ſuauis ſit Chriſtus Dominus, aut quàm amœnus paradiſus.

§. 6.

Hic Auernalis fœtor non importunè ſubmonet, quàm variè vel hac vnà in re delinquamus. Non enim ſolùm oculos, & linguam, & aures in officio continere decet, ſed & nares. At nos odoris grauioris plerunque nimis impatientes ſumus. Viles captiuos, & pauperes ægros ideò ſæpe auerſamur, quia potius allium qui crocum, aut moſchum obolent. Id circò iudex ab iride delicatulis his exprobrabit: Infirmus, & in carcere eram, & non viſitaſtis me, z. Nimirum tam delicata eſt impatientia, vt vbi vel ſuſpicio fœtoris, illuc eam vel albis quadrigis nemo pertraxerit. Eos amamus, illorum familiaritatem ambibus, qui cinnama ſpirant, qui crocum halant & balſama.

Sed

z *Matth. c. 25. verſ. 43.*

Sed breui mutabunt vices, &, quod Isaias vaticinatur, *Erit pro suaui odore fœtor*, a.

Dein olfactu peccant, qui sua omnia peregrinis odoribus imbuunt, vestes, conclauia, lectos; quicquid crebrius cõtingunt; odoribus prius inficiunt, nec vnguentis parcunt, vt semper sit quod nares mulceat. Hoc quidem tam grande nefas non censetur, attamen Deus olim capitali pœnâ sanxit: *Talem compositionẽ (odoris) non facietis in vsus vestros, quia sanctum est Domino Homo quicunque fecerit simile, vt odore illius perfruatur, peribit de populis suis*, b. Ergo etiam odoris intemperantia peccamus. Sic plurima quæ nobis videntur minuta, & nullius ponderis, ea diuinus Oculus ille obseruat, & inter punienda numerat.

Porrò illud accuratius atq; frequentius perpendendum, quid sibi velint diuinæ paginę, cùm nidores sulfureos proponunt. Exemplo quod dicitur, demonstretur. *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulfur & ignem à Domino de*

a. *Is. Cap. 3. Vers. 24*, b. *Exodi Cap. 30. vers. 38. fine.*

cælo, c. *& ſubuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuerſos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia*, d. Sulfureus hic nimbus ac fœtor, libidinis ardores & luxuriæ fœtores punierunt. His pluuijs extinguendus erat Cupidinis æſtus.

Summus ardor igni, maximus fœtor ineſt ſulfuri. Quando igitur laſciuâ carnis concupiſcentiâ fœtebant, igne & ſulfure peribant, vt ex animaduerſione iuſtâ diſcerent, quid ſpurcâ libidine commeruiſſent. Homo libidinoſus & impurus ſupplicium meretur duplex; dum viuit, ſeipſum magis ac magis luxuriæ cœno inficit; cùm viuere deſinit, in balneũ ſulfureum tranſit.

c. NB. *Dominus à Domino pluit, hoc eſt, à ſeipſo, & non á cauſſis naturalibus. Non enim naturalis, ſed cæleſtis & diuina fuit hac ſulfuris & ignis pluuia.*

d. *Gen. cap. 19. verſ. 24. & 25.*

§. 7.

Ergo in laſciuiam potiſſimum Auernalis ignis ac ſulfur graſſabitur. Quod Gregorius eruditè aſſerens: Tũc, inquit, edax

edax flamma comburit, quos nunc carnalis delectatio polluit. Omnis impius habet flammam ignis proprij, quem in corde ſuo ex feruore deſiderriorum temporalium accendit, dum modò iſtis, modò illis cupiditatibus eſtuat, & cogitationes ſuas per multiplicia blandimenta ſæculi ampliùs inflammat. Ideò nunc fletus expiet quicquid delectatus per negligentiam animus deliquit, *e.* Credibile prorſus eſt pauciſſimos in flameas voragines detrudi, qui nihil libidinoſi fœtoris ſecum deferant.

Hîc quiuis mortalium bono ſuo & ſapere diſcat, & cauere, ne hac libidinis Camerinâ *f.* ſubmergatur. Vinum quidem & ebrietas, Oſeâ teſte, *g.* cor auferunt, ſed omnium maximè Fornicatio. Hæc ita ſibi cor rapit, vt illud non facilè reſtituat.

Sed illud obſtupeſcendum prorſus, & nimis quàm horrendum, ſub cogitatione vnicâ (quam Theologi delectationem moroſam nominant) innumeras

e. *Greg. l. 4. mor. c. 17. & l 5. c. 8. initio.* f. Sinckender Sumpff. g. *Oſ. c. 4. v. 11.*

pœnas, ſupplicia infinita, mortem æternam deliteſcere. Res in aperto eſt: *Quividerit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo*, g. Hic iactus oculorum vnicus, vnica hæc cogitatio, hic latentiſſimus in libidinem aſſenſus innumeros infinitos annorũ milliones continet, quibus ille oculorum iactus, illa cogitatio, aſſenſus ille vindicandus eſt, nec tamen vnquam ſatis expiandus. Obſtupeſcendum hoc, inquam, & nimis quàm horrendum.

Rem dicam: hæc etſi forſan cogitemus, certè non perpendimus, nõ examinamus. Inde eſt, vt Iſidorus Clarius loquitur, quòd malumus eſſe ad momentum fucati, quàm in ſempiternum ſplẽdidi; ad horulam libidinoſi, quàm in æternum glorioſi, *h.* Hæc noſtra eſt incogitantia, & (liceat dicere) ex cors temeritas. Tutò quis vel capite ſuo dimicet, *i.* ab eo æternitatem minimè cogitari, qui vel inuidiæ, vel libidinis, vel auaritiæ ſordibus etiamnum inuoluitur. Nunquam delin-

g. *Matth. C. 5. Verſ. 29.* h. *Iſid. Clar. to. 1. orat. 53.*
i. Solt einer den Kopff verwetten.

delinquet grauius quisquis æterna supplicia cogitauerit frequentius.

Ergo, In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum nō peccabis. *k.* Tua, inquā, nouissima memorare, non aliorum, neque raptim aut perfunctoriè id facito. Nam hic error plurimorum est, quibus ista velut ad se non peruentura cogitantur. Tua igitur nouissima memorare, & Auernales fœtores inter memoranda respice. Quid ei proderunt delitiæ, quem inferorum sepelient flammæ. Ah, sapiamus, dum licet; ne dulce momentum amarissima comitetur Æternitas.

k. Eccli. cap. 7. Vers. 40.

CAPVT VI.

Quintum Æternitatis Tartareæ tormentum.

IGNIS.

ROmanus scriptor, vbi suum diuersis supplicijs discrimen assignasset, demum pronuntiat: Ignis suppliciorum

vltimum, *a*. Humana crudelitas, in pœnas ingenioſa, exquiſitiſſima inuenit ſupplicia, nullum tamen acutius, nullum vehementius eſt igne. Romanus Cæſar Valerianus qui Decij crudelitatem perpetuauit, ſi flāmis atrocius tormentum excogitare potuiſſet, eo vtique Laurentium affeciſſet. Tyrannis priſca vix acerbiores cruciatus vllos reperit, quàm viuum flammis tradere, lentè exurere, aſſare. Ignis, ſuppliciorū vltimum, grauiſſimum.

Quòd ſi fieri poſſet hominem læſæ Maieſtatis, aliorumque ſcelerum plurimorū reum millies ita comburi, vt hoc ſupplicium ſemper æquaret horam, rectè diceretur, Ignis ſuppliciorum vltimum. Cruciatus ſanè acerbiſſimus eſt, comburi viuum. Sed ô mitem gehēnam, ô temperatas flammas, vel millies viuum comburi! Feralis hæc ſententia (mille horis tolerare flammas) captiuis inferorum longè clementior videretur, quàm ſi reo iam iam plectendo vitæ fiat gratia.

Sed firmum fixum eſt decretum, decretum

a. *Curtius l. 6. c. 12.*

cretum immutabile, irreuocabile: Verba Chriſti iudicis planiſſima ſunt, & apertiſſima: Ite in ignē æternum. Omnia Chriſtianorum templa docent improbos æternis, nunquam deſituris ignibus cruciandos.

Atque hoc Quintum Æternitatis luctuoſiſſimę ſupplicium, Ignis ęternus, de quo, quantum in re tam ſeria humani oris paupertas permiſerit, verba facere conabimur.

§. 1.

Mos fuit priſcæ poeſi ſubinde intercalaribus vti verſibus. Ita crebrius repetito verſu princeps poetarum canit:

Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.

Quo ſępius ingeminato, demum ſubiungit:

Deſine Mænalios, iam deſine tibia verſus, b.

Nec poeſis ſacra hunc morem antiquauit. Hinc ille ſacrorum carminū intercalaris cantus: Regem venturum Dominum, venite adoremus. Idque ſæpius repetitur: Venite adoremus Regem venturum Dominū, Venite adoremus. Pari

b. *Virgil. ecloga 8.*

modo sæpius interpositio versu ad inferias cantatur: Regem cui omnia viuunt, venite adoremus. Hunc ipsum morem in diuinissimis concionibus suis obseruauit Seruator Orbis. Sic, Marco teste, perorans ad populum: Bonum est tibi, aiebat, debilem introire ad vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem in extinguibilem, *Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*, c. Non piguit hæc eadem vno loco ter dicere. Nam paullò post repetēs id ipsum: Bonum est tibi, ait, claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehēnam ignis inextinguibilis, *Vbi vermis eorū non moritur, & ignis non extinguitur.* In eâdem omnino concione dictum hoc intercalare tertium ingeminans: Bonum est tibi, ait, luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis, *Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*, d.

Hoc canticum Christus, hunc intercalarem versum præcinuit rex noster. Perinde

d. *Marci c. 9. v. 43.* d. *Ibid. vers. 46. & 48.*

Perinde si dixisset: Me voce præeuntem sequimini, & accinite: *Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Ecquem nõ terreat oris diuini tam tremẽda comminatio? Profectò quisquis hoc illætabile carmen, quisquis tristissimum hunc lessum sæpius & attentè cantauerit, in Orbe meliori *Alleluia lætissimum* semper cantabit. Satis hoc, abundantissimè satis est testimonij, etsi altum alibi diuina oracula silerent.

Sed ignis infernalis, & noster, nimium quantum differunt, & primò quidem *Vrendi sensu.* Noster ignis Augustino pictus videtur, sed ille alter, verus. Discrimen ingens, imò vix vlla similitudo veræ ac pictæ flammæ. Hic quæso tacitis progressibus in rem præsentem veniamus.

Quanti & quàm acres dolores, per vnam duntaxat horulam, vnum tantummodò & vel extremum digitum gracilis cerei igniculo admotum vri? Quantò maiores, sic vri manum integram? Sed quantò vel maximis maiores erũt dolores sic vri totum brachium? Quam verò infandus erit cruciatus sic vri totũ cor-

modo sæpius interpositio versu ad inferias cantatur: Regem cui omnia viuunt, venite adoremus. Hunc ipsum morem in diuinissimis concionibus suis obseruauit Seruator Orbis. Sic, Marco teste, perorans ad populum: Bonum est tibi, aiebat, debilem introire ad vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem in extinguibilem, *Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*, c. Non piguit hæc eadem vno loco ter dicere. Nam paullò post repetēs id ipsum: Bonum est tibi, ait, claudum introire in vitam æternam, quàm duos pedes habentem mitti in gehēnam ignis inextinguibilis, *Vbi vermis eorū non moritur, & ignis non extinguitur.* In eâdem omnino concione dictum hoc intercalare tertium ingeminans: Bonum est tibi, ait, luscum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis, *Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*, d.

Hoc canticum Christus, hunc intercalarem versum præcinuit rex noster. Perinde

c. *Marci c. 9. v. 43.* d. *Ibid. vers. 46. & 48.*

Perinde si dixisset: Me voce præeuntem sequimini, & accinite: *Vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Ecquem nō terreat oris diuini tam tremēda comminatio? Profectò quisquis hoc illætabile carmen, quisquis tristissimum hunc lessum sæpius & attentè cantauerit, in Orbe meliori *Alleluia lætissimum* semper cantabit. Satis hoc, abundantissimè satis est testimonij, etsi altum alibi diuina oracula silerent.

Sed ignis infernalis, & noster, nimium quantum differunt, & primò quidem *Vrendi sensu.* Noster ignis Augustino pictus videtur, sed ille alter, verus. Discrimen ingens, imò vix vlla similitudo verę ac pictæ flammæ. Hìc quæso tacitis progressibus in rem præsentem veniamus.

Quanti & quàm acres dolores, per vnam duntaxat horulam, vnum tantummodò & vel extremum digitum gracilis cerei igniculo admotum vri? Quantò maiores, sic vri manum integram? Sed quantò vel maximis maiores erūt dolores sic vri totum brachium? Quam verò infandus erit cruciatus sic vri totū cor-

pus? Licet ignis, qui vrit, pictus videri possit. In Iapone hoc æuo lentis ignibus diriſſimè torquentur Chriſtiani. Inter hos Carolus Spinola fuit, cuius ſuperiori capite facta mentio. Hic cum alijs viginti tribus tam immane ſupplicium hoc modo ſubijt.

Ignis ſtruebatur eminus, vigintiquinque palmorum ſpatio, à columnis Martyrum remotus, vt tantò acerbior ac ſæuior eſſet cruciatus, quantò prolixior, atque ita priùs lentè aſſarentur quàm arderent. Quinſi quâ parte luculentior erumpebat flamma, protinus coercebatur. Vincula verò non ferrea erant, ſed viminea, quibus Chriſtiani, laxè, obiter, ac ferè in ſpeciem ad palum ligabantur, crudeliſſimo aſtu dæmonis, qui eò ſpectabat, vt Chriſti athletæ doloris acerbitate compulſi & vinculis facillimè ruptis expedire ſe, atque flammis eripere nullo negotio poſſent. Hoc autem indicio conuentum erat, vt Chriſtum eiuraſſe cenſeretur, quiſquis ſe incendio eripuiſſet. Interim igitur dum languido flammarum ardore, ignis in viſcera penetra-

ret,

ret, corpore immoto ſtabat Carolus, oculis in cælum fixis, vbi poſt pauculas horas deſideratiſſimis Chriſti amplexibus frueretur, cui corporis ſui victimam in holocauſtum deſtinabat. Durauit acerrimus ille cruciatus ignium ad duarum vel trium horarum ſpatium. P. Sebaſtianus Chimura, patriâ Iapon (vti certis tabulis teſtatũ) manibus ante pectus in crucem decuſſatis, oculiſque in cælum ſublatis, tres horas viuus ſtetit in ardente rogo, *e*.

Tormentum horribile prorſus, nec verbis effabile, hominem igne eminus ac lentè admoto tribus horis torreri viuũ. Quódnam igitur tormentum, ô Deus, quàm infandum, quâm incomprehenſum, non duas tréſue horas, non vnum alterumque diem, non annum annoſque mille, ſed æternitate totâ (quæ tamen nunquam tota erit) & corpus & animum vri, nec vnquam comburi?

Hîc vox & verba deficiunt. Nemo, non

e. Combuſti ſunt Anno 1622. die 10. Septembris, ſabbato. Ita Hermannus Hugo in vita Caroli Spinolæ Cap. 18. pag. 175.

non dicam satis eloqui, sed nec satis cogitatione complecti potest infinitam illam doloris acerbitatem. Diuinam iram perhorrescens Dauid: Deuorabit eos ignis, inquit, Dominus in irâ suâ conturbabit eos, *f.* Sicut in vstrinâ ferrum candēs ita ignem imbibit, vt merus sit ignis, & ferrum tamen maneat, sic inferorum flamma, ipsis damnatorum ossibus, & ossium medullis implicabitur.

f. Psal. 20. Vers. 10.

§. 2.

Altera tartarei & nostri ignis differētia, splendor est & lumen. Ardet noster, & lucet; at tartareus, prout iustitia diuina sanxit, ardet sed non lucet, nisi in grauius tormentum, vt qui dum viuerent societatem coierunt in nequitijs, socios sese agnoscant in tormentis: ita fur adiutorem furem, lusor colluforem, adulter adulteram cernet & tabescet, malletque cœcus esse, quàm dolores alienos videndo facere suos.

Optimè dixit Isidorus: Ignis gehennę lucebit miseris ad miseriæ augmentum & ad

& ad damnationem, vt videant impij vnde doleant, & non ad consolationem, ne videant vnde gaudeant, *g*.

Tertia vtriusque ignis differentia: noster consumit omnia, ille nihil. Quâ in re locupletissimus testis Augustinus: Si Salamandra, inquit, in ignibus viuit, & notissimi Siciliæ montes, totâ diuturnitate temporis atq; vetustate vsq; nunc, & deinceps flammis æstuant atque integri perseuerant, satis idonei testes sunt, non omne quod ardet, absumi: & anima indicat, non omne quod dolere potest, posse etiam mori.

His docemur, quâ ratione hominum sempiterno supplicio punitorum corpora, & in igne animam non amittant, & sine detrimento ardeant, & sine interitu doleant. Quis nisi Deus creator omniũ dedit mortui pauonis carnibus, vt vel in annum solidum asseruatu sint faciles? Quis paleæ dedit vel tam frigidam vim, vt obrutas niues seruet, vel tam feruidã, vt poma immatura maturet? Iam verò quàm mirum est, quòd cùm calx extinguitur,

g. *Isid. sent. l. 1. C. 31, initio.*

guitur, tunc accenditur? Cur itaque facere non possit Deus, vt & resurgant corpora mortuorum, & igne æterno crucientur corpora damnatorum, qui fecit Mundum in cælo, in terrâ, in aere, in aquis, innumerabilibus miraculis plenum: cum sit omnibus, quibus plenus est, procul dubio maius & excellentius etiam ipse Mundus miraculum, *h*. Cur non dicamus quamuis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi? Quod igitur de sempiterno supplicio damnatorum per suum prophetâ Deus prædixit, fiet, omnino fiet: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*, i.

Quarta differentia: Noster ignis ad pabuli modum, viuit, augescit, vel deficit, augescente vel deficiente pabulo. At ignis æternꝰ diuinâ iustitiâ nutritur, nullo sopiendus mari, inextinguibilis est. Hæc vna vox, *Inextinguibilis*, à Domino ter

h. *August. tom. 5. l. 21. de Ciu. C. 4. pluribus locis. & C. 7. initio. & C. 9 ac 10. i. Is. cap. 66. vers. 24.*

ter repetita, aut vitia nobis dissimulauerit, aut nos esse pecudes demonstrabit.

§. 3.

Hic verò inferorum ignis cuiusuis noxis ac sceleribus attemperabitur. Iustitia diuina eo vt flagello vtetur. *Prouẽsura peccati, erit & plagarum modus*, k. Quemadmodum è pluribus reis vno eodemq; flagello alter altero acerbius puniri potest.

Hinc liquet insania quorundam hominum vix sibi aliud quàm inferos promittentium. Eorum voces sunt: Cùm in viâ simus ad furuæ *l.* regna Proserpinæ, plenis eò velis inuehi placet: Curem' vt nobis bene sit, dum licet: plagas merebimur, mereamur illas insigniter.

Ite furiosi, ite, & delitijs affluere supremam felicitatem credite; hodie vino & plumis vos mergite, cras forsitan mergendi flammis. Omnes in Orco captiui diriſſimè cruciantur; ceteris ij dirius, qui Numen & grauius & crebrius offenderint:

k. *Deuter. Cap. 25. Vers. 2. l. Horat. l. 2. oda 13.*

rint: *Dabit enim ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur & sentiant in sempiternum,* m.

Hoc ignis æterni supplicium, optimè omnium, sensu meo, tamque succinctè quàm neruose diuus Prosper cogitandum subijcit. Illius verba cedro digna, hæc sunt: Continuus gemitus, pœnalis sensus, dolor summus, cruciatus æternus torquent animas neque extorquent, puniunt corpora, neque finiunt. Quemadmodum verò nullum est apud nos supplium quod igne acrius torqueat, sic nullum est quod citius torquere desinat, & consumat. Quis ergo ignis ille, qui & acutissimè cruciat, & cruciare nunquam cessat?

Moyses cùm vices diuinas fungeretur, vocem reperit quâ significanter admodum æternitatem vindicãtis flammæ ingerens: *Ignis,* inquit, *succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima,* n. Haud aliter Hieremias vates: *Ignem,* ait, *succendistis in furore meo: vsque in æternum*

m. *Iudith. Cap.16. Vers.21.* n. *Deut. Cap.32. Vers.22.*

æternum ardebit, o. Puluis tormentarius quo æternus ignis ſuccenditur, eſt *Furor Domini*. Dum viuimus non tam furorẽ, quàm irã Numinis experimur. Machabææ hiſtoriæ ſcriptor: Alienatus mente Antiochus, inquit, non conſiderabat quòd propter peccata habitantium ciuitatem, modicum Deus fuerat iratus, *p.* Profectò modicè Deus iraſcitur, licet magnâ vi brachia tollat, videaturque nõ perfunctoriè flagellatur[9]: modica prorſus etiamnum ira eſt, nam & clementiæ coniuncta eſt. Cùm verò hæc ira ſpernitur, clementia ridetur, tandem patientia læſa fit furor, & in furore hoc ignis accenditur, arſurus æternùm. Ignem hunc vos ipſi ſuccendiſtis, inquit Deus, ſceleribus namque toties repetitis clementiã meam ludibrio habuiſtis, iram meam tametſi modicam impatientiſſimè tuliſtis, ex leges, & omnis diſciplinæ contemptores in vetitum corruiſtis. Iam tempus vindicandi eſt: horribilibus, inauditis vos ſupplicijs afficiam: Succendiſtis ignem in furore meo: Iam ardebit

o. *Hier. c.17. v.4* p. *Machab. c.5 v.17.*

debit furor meus vsque ad inferni nouissima.

Natura quidem, quod Annæus asserit, aut tolerabilem facit dolorem aut breuem. At naturæ opifex Deus in rebelles ac contumaces subditos suos, & longo & intolerabili dolore animaduertit: Longo certè, quia æterno; intolerabili, quia igne sæuissimo.

§. 4.

Hîc omnes quotquot Christiani sanguinis sunt rogo atque obsecro quàm maximè, si quid ægrimoniæ aut doloris vrat, si podagra, si calculus, si quis alius morbus aut molestia infestet, prima omnium cogitatio sit ista: Molestia hæc aut dolor si annis decem, si centum, si annis mille duret, an non ad inferos deiectum te credas? Ad eum verò amoliendum quid facias? Facillud iam ad euitandos dolores æternos. Et scito molestiam quam pateris, licet grauissimam, dolorem quē sentis, etsi maximum, nec vmbram quidem inferorum esse. Hîc Deus vnâ tantummodò manu, eaque parcēte ac lentâ leniter ferit, illic vtraque & quidem

dem ferreâ rigidiſſimè & acerrimè cędit: hîc vno ſæpe digito tantum impellit, omnibus illic digitis, totâ manu flagellum vibrat.

Chriſtianus heros Euſtachius (cuius ſuprà mentio) cum vxore ac liberis in candentē æneum bouem incluſus diriſſimè cruciatus eſt; ingens nihilominus hoc illi ſolatium erat, & finis breui adfuturus, & præmium beatitudinis nunquā finiendum. Hæc cogitemus.

Ignes æternos religioſiſſimi quique viri aſſidua cogitatione velut contrectabant. Narrat ē Græco Paſchaſius Diaconus Anachoretas duodecim velut in ſenatum ventitaſſe, & pro ſe quemque dixiſſe, quid ſibi videretur ad id temporis profeciſſe, & quid potiſſimum contemplatione expendiſſet. Vbi ſuam ſinguli ſententiam dixiſſent, duodecimus, & in dicendo vltimus, quid animi ſui eſſet expoſuit. Verba illius integrè ac bonâ fide admetiar, vt ſuus religioſæ ſimplicitati ſtet color. Ita dixit, Vos quidem Patres, cæleſtem habentes conuerſationem, cæleſtem & ſapientiam poſſidetis. Nihil mirum,

mirum. Ego verò me his indignum iudicans, video quòd peccata mea, vbicunq; iero, præcedunt me semper ad dextram, & ad sinistram: in infernum verò adiudicaui meipsum, dicens: Esto cum his quibus dignus es, istis post modicum annumeraberis. Video igitur ibi pares gemitus, & inceſſabiles lacrimas, quæ à nullo referri queunt. Aſpicio quoſdam ſtridentes dentibus, & ſalictes toto corpore, & trementes à capite vſque ad pedes. Et iactans me ſuper terram, & amplectens cinerem deprecor Deum, nunquam caſuum me illorum experimenta accipere. Video & mare ignis bullientis immenſibile, & circumfluentes, & mugientes, vt putent aliqui vſque ad cælos attingere fluctus ignis, & in tremendo illo mari innumerabiles homines deiectos, & vnâ voce omnes clamantes & vlulantes ſimul, quales nemo ſuper terrá vlulatus & voces vnquam audierat, & ſicut arentia omnis virgulti cremare: miſericordiâ autem Dei auertente ſe ab illis propter iuſtitiam. Et tunc lamẽto genus hominum, quòd audeat loqui, vel cuilibet

cuilibet attendere, tantis in Mundo repositis malis. Et in his teneo mentem meam, luctum meditans, quod ait Dominus, indignum me cælo & terra iudicans reputansque quod scriptum est: *Factæ sunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte*, q, r.

Hunc apud se calculum complures posuerunt: En, aiebat quisque sibi, pœnas immortales iam pridem meritus es, neque id semel duntaxat. An verò Deus tuam omnem culpam aboleuerit, chirographo testari non potes: *s.* abolitã speras, aut certè abolendam, & rectè facis, Sed vide, cautus esto, & sollicitus ambula cum Deo tuo, hoc enim Dominus requirit à te. *t.* Et hoc est mature sibi sapere.

q. *Paschas. apud Rosweidum Cap.* 44. *N.* 12.
r. *Psal.* 41. *Vers.* 4. *s.* Hast warlich kein Brieff darfür. *t. Michæa c.* 6. *Vers.* 8.

§. 5.

Sed quàm multi alia omnia faciunt! Nummos tam anxiè corradunt perinde si eos illaturi sint cælo. Honoris & existi-

mationis fumum, vt rem ſacroſanctam ſummo ſtudio tuentur; mori mallent quam deſpici. Nonnunquam tamen hi ipſi aliorum famã varijs obtrectationibus lacerant, & tantò acerbiùs de alijs, quantò de ſeipſis benigniùs loqui ſolent. Multorum ea vna cura eſt, curare cuticulam, & genium non facilè fraudare vlla, quam appetierit, voluptate.

Ita ad æternitatem tendimus futurorum improuidi, immemores præteritorum, in præſentia proniſſimi. Sic pleriq; mortalium viuunt: alijs cum arcâ, alijs cum ventre negotium eſt: nemo non ſerius ſibi videtur, cùm maximè nugas agit. Vitia tam vbiq; obuia ſecundis progreſſibus, vt cælum & inferi vix inter ſeria habeantur.

Veſani mortales! Diſcamus obſecro noſtros impetus obiecto igne hoc æterno reſtinguere. Furioſiſſimis ignibus nõ malè conferuntur Ira & Libido, affectus impotentiſſimi; nec vlla ferè vitia tam cõcitato impetu, quà data porta, ruunt. Libido velut infrenis equus, aut mannu-

lus

lus indomitus u. rationem omnē excutit. De hoc monſtro elegāter Gregorius Nazianzenus poetices non ignarus:

Quæ ruit in vetitum damni ſecura libido, x.

Iracundiam Paulus Oroſius y. egregiè depingens: Furor, inquit, conſilij expers, dolorem & vindictam putat eſſe virtutem; quantumque meditatur ira, tantum promittit audacia, z. Iram, tyrannicum affectū rectè nominat Chryſoſtomus. Etenim nihil æquè tranquillitatem animi turbat, atque ira impatiēs freni. Hos ignes æternis ignibus domemus.

Medicorum ſcitum eſt: Ignis igni remedio eſt. Nam cùm digitus aut manus vſtulatur, remedium viciniſſimum eſt vſtulatum membrum aut ardenti cereo, aut gliſcenti foco, aut viuis carbonibus admouere. Sic ignis ignem ſui ſimilitudine attrahit. Eandem ob cauſam incendia tormentis æneis petuntur, vt lentiorem flammam violentior domet. Heu quo-

u. Junges vnjempts Fillp. x. *Naz. in ſacr. car.* y. *Oroſ. l. 2. contra paganos c. 16.* z. Was der Zorn ſpint/ das haſpelet die Vermeſſenheit ab.

tiés cor noſtrum cupidinibus malignis ardet? Ergo in hoc incendium bis tẽue emittatur illud ingens tormentum bellicum (*Ite maledicti in ignem æternum*) Quid agis miſer, perire vis? facillimo iſtud impendio fiet: horulâ vnâ, imò vel vnicâ parte horulæ, imò momento vel vnico periram aut libidinem patras, quod æternum doleas. Atque ſic ignem iræ ſuperet ignis gehennæ, flammas libidinis expugnet flamma Stygis. Et ſunt quæ horum ſubinde moneant.

§. 6.

Qui originem familiæ Carthuſianæ conſiderarit, neminem ex eâ facilè vnquam aſpiciet ſine gemitu. Hiſtoriam notam in compendium confero.

Vir litteratus Pariſijs, morte obita, cùm inferiæ cancrentur in templo, è feretro aſſurgens, voce horribili exclamauit: *Iuſto Dei iudicio accuſatus ſum.* Dilatum ergo funus in poſterum diem. Iterum eadem cantantur, cùm defunctus iterum vociferatur è tumba: *Iuſto Dei iudicio iudicatus ſum.* Nec dum, quid eo factum, liquebat. Dies ergo tertius expectan-

pectandus. Eadem fiũt quæ diebus prioribus. Et mortuus tertiùm è ſandapilâ proclamat: *Iuſto Dei iudicio condemnatus ſum.* O verè ter miſerum, qui æternum erit! Et quod nemo non contremiſcat: Vir iſte omnium calculo vir ſanctus & vitæ integer habebatur. Adeò fallunt humana iudicia. Vrbs Pariſiorum vniuerſa rei geſtæ teſtis. Hoc Brunonem cũ ſocijs exegit vrbe, hoc in auia nemora rupeſque diſertiſſimas expulit, vbi cęlum potius habitare diſcerent quàm terram. Hæc Carthuſianæ familiæ origo, z.

Hîc ſeriò cogitandum: Itáne homines eruditi, & humano ſenſu ſancti accuſantur, iudicantur, damnantur? Quid me fiet miſero? Ergo animum quantis poſſum induſtrijs curabo. Alij ſe ſuamq; cuticulam curent æternitatis obliti; vigeant, floreant, cras forſan cinis & fauilla. Hos ego mores nil moror, hanc ego viam non ingredior, nam & alium viæ terminum quæro. Si ego Carthuſianos, aſperrimos montes habitare nõ poſſim, illas ſaltem latebras, vbi eſtur, vbi potatur &

z. *Cœpit ea Anno Chriſtiano* 1082.

tur & luditur declinabo; si non carnium esum, saltem carnis petulãtias eiurabo; si non æternum silere queam, ab obtrectationibus saltem & lasciuis colloquijs abstinebo; si non dies noctesque, religioso ritu, in templo sim, hoc certè agam vt nulla mihi labatur hora, quâ Dei non meminerim. Et quæcunque in posterum mihi fuerint perferenda, non tantùm exigua, sed nulla esse dicam ad æternitatis ignes collata. Quo quidem sensu Augustinum veriſſimè locutum veneror: Que quisque, aiebat ille, grauia valdè patitur in hac vitâ, in comparatione æterni ignis, non tantùm parua, sed nulla sunt, a.

Sic est omnino; omnes dolores nostri ludicrum quid & leues morsiuncusæ sunt ad æternitatis supplicia. Minimum apud inferos tormentum maius est quã sit maximum in Orbe hoc nostro. Morborum cruciatus tolerabiles faciunt interualla, quæ in Orco nulla. Dolorem sentire tunc nos desinimus, si nimium sentimus. Nemo potest valde dolere, & diu,

a. *Aug. tom. 10. serm. 109.*

diu, niſi apud inferos. Sic enim mitis natura diſpoſuit, vt dolorem faceret, aut breuem, aut toleratu non adeò difficilẽ. In gehennâ & intolerabilis eſt dolor, & longiſſimus, quia æternus.

CAPVT VII.

Sextum Æternitatis Tartareæ tormentum.

VERMIS CONSCIENTIÆ.

GEmma priſcorum Patrum & Antiſtitum ſidus Auguſtinus experientiæ conuenientiſſimè dixit: Inter omnes tribulationes humanæ animæ nulla eſt maior tribulatio, quàm conſcientia delictorum, a.

Grande ſupplicium eſt patri, ſi filij ſupplicio capitali debeat intereſſe ſpectator; ſed multò maius eſt, ſi ipſe pater cogatur eſſe carnifex; lõgè maximum, ſi patibulum, cui filius ſuffixus, ante ædes ſtatuatur, quotidie aſpiciendum. At hæc omnia, & ludicra, nulla ſunt, ad illud ſupplicij genus, cùm ſuus ipſe carnifex eſt

a. *Aug. in Pſal. 45*

reus, cùm ſeipſum dētibus commordet, dilaniat, laceratque morſibus conſcientiæ perp:tuis.

Et hoc Æternitatis luctuoſiſſimæ ſextum eſt ſupplicium, quod Chriſtus concione vnicâ, imò vnicæ concionis epilogo ter itidem repetijt: *Vbi vermis eorum non moritur.* Mox idem ingeminat: *Vbi vermis eorum non moritur.* Sed & tertium hoc inculcans: *Vbi vermis eorum* ait, *non moritur*, b. Nec aliter Iſaias, qui & ipſe conciones ſuas non alio clauſit epilogo quàm eodem iſto: *Vermis eorum non morietur*, c. Ingens, inexplicabile hoc ſupplicium ſit neceſſe eſt, de quo nos plura.

b. *Marci Cap. 9. Verſ. 44. 46. & 48.* c. *Iſ. Cap. 66. fine.*

§. I.

Quantum turbatæ conſcientiæ tormentum ſit vel priſci idololatræ ſatis exploratum habuerunt. Rhetor è Latio Quintilianus: O triſtis recordatio, exclamat; ô tormentis omnibus grauior Con-

Conſcientia! *d.* Eadem omnium ſapientum vox eſt. Sanctiſſimus Pontifex Gregorius: Inter multiplices, inquit, humanæ animæ tribulationes & innumerabiles afflictionum moleſtias, nulla eſt maior afflictio quàm conſcientia delictorum, *e.* Verè, nihil eſt miſerius, quàm animus hominis malè ſibi conſcius, *f.* Hîc conſentiamus, ait Seneca, mala facinora conſcientiâ flagellari, & plurimum illi tormentorum eſſe, eò quod perpetua illam ſollicitudo vrget ac verberat, *g.* Malitia ipſa maximam partem ſui veneni bibit, ipſa ſibi ſuppliciũ eſt: Nemini bene eſt nocenti.

Hæc ſuo quoq; calculo conſignans, quem dixi, Auguſtinus: Seipſum, inquit, quò fugiturus eſt homo? quocunq; fugerit ſe, talem trahit poſt ſe, & quocunq; talem traxerit ſe, cruciat ſe. Ipſe eſt pœna ſua, quem torquet conſcientia ſua. Deus ſcit tantam pœnam animæ, tãtas cruces, tãtas gehennas, tãta tormenta, *h.* Quot

d. *Quintil declam.* 12. §. 38. e. *Greg. in Pſal.* 143.
f. *Suetonius in Tiberio.* g. *Sen. epiſt.* 97. *fine.*
h. *Aug. in Pſ.* 45. & *in Pſal.* 36.

hominis vitia, tot animæ tormenta, tantò autem acerbiora, quantò interiora.

Et in promptu ratio est: Cùm vndiq; omnia sunt aduersa, cùm cælum & terra infestant, etiamnum supereſt ſuffugium ad Deum; etsi nemo ſoletur, ſatis ſolatiorum eſt Deus. Sed ſi conſcientia ſit inquinata, nihil vſpiam nec in rebus conditis, nec in conditore ſolatij, eſt reperire, omnia acerba, fellea omnia. Et quò profugias? ad Deum? hoſtis eſt. Ad conſcientiam? Carnifex eſt. Ad diuos cælites? Offenſi ſunt. Ad ſocios? Augebunt cruciatus. Ad delitias & voluptates? Conſcientiam magis inquinabunt. Verè, non eſt pœna grauior prauâ conſcientiâ.

At dum viuimus hoc conſcientiæ macellum ſuas habet ferias. Subinde hos oblatrantis conſcientiæ morſus nõnihil diſtinemus, aut arte fallaci eludimus, aut certè delinimus nunc legendo, nũc laborando, nunc colloquendo, modò hilariùs comeſſando, modò huc illucq; commigrando, & ſaltem dormiendo hos angores fallimus: At verò in illa Crudelitatis

tis arce, in regno diaboli nulla quietis interualla, interspirationes nullæ, nõ somnus, non quies, nulla lectio, nullę comessationes, consolatio nulla, dies noctesque conscientiæ vipera laniatum vndique pectus perrodet: Vermis eorum nõ morietur.

§. 2.

Plurima sunt, ob quæ singulariter illos æternæ noctis inquilinos torquet conscientia. Primum omnium, *Amissio æternæ gloriæ.* Obseratum est Cælum, obseratum est Tartarum, nullus hinc transitus illuc. Actum est; epulum cæleste neglectum est, neglectu irreparabili. Spes nulla beatitudinis.

Esau homo rudis, & qui à feris quas insectabatur, feritatem hauserat, nihilominus indignissimè tulit faustam parentis precationem à fratre sibi præreptam. *Nam auditis sermonibus patris, irrugijt clamore magno, & consternatus ait: Benedic etiam & mihi, pater mi,* i. Vt verõ rugient damnati, conscientiâ cuique eorum opprobrãte: Benedictionem patris

i. *Gen. c. 27. vers. 34.*

perdidisti, ius & spem cæli omnem amisisti, pro lenticulâ vilissimâ vendidisti regnum. Maledictus es, exclusus, exclusissimus es à cælo in omnem æternitatem. Vermem qui te cœpit rodere, non excuties à te amplius. Tuis ipse auribus decretum iudicis audisti: Ite, discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.

Hoc regnum Satanæ destinatum, hos vermes impiorum lanienæ paratos poeta vetus, Christianus, non ineleganti metro sic ob oculos ponit:

Præscius inde Pater liuentia tartara plumbo
Incendit liquido, piceasq́, bitumine fossas
Infernalis aqua furuo suffodit Auerno,
Et Phlegethontæo sub gurgite sanxit edaces
Perpetuus scelerum pœnis obrodere vermes, k.

Inter hæc vermium examina cernent damnati, vt diuus Gregorius arbitratur, beatorum gloriã: Vt peccatores, inquit, in supplicio amplius puniantur, & eorũ vident gloriam quos contempserunt, & de illorum etiam pœnâ torquẽtur, quos inuti-

k. *Prudentius contra Marcionitas.*

inutiliter amauerunt, *l.* Ita cælitum felicitatem damnati vident, ſed velut eminus: *m.* perinde ſi quis è turri præaltâ quâ clauſus, & in quâ fame diuturnâ cõfectus, inter fœtores & vermium aceruos deſpiciat in hortos amœniſſimos, vbi complures inter ſe amiciſſimi voluptatibus affluant; ah, quàm cruciabilis eſt hic aſpectus! Hoc cernere, eſt ſuas ſibi pœnas augere.

Famelicus ſi menſam cernat epulis refertam, nec tãgere audeat, plus eſurit, præſertim ſi ipſe ſuâ ſe culpâ paratis epulis priuarit. Non aliter damnati : *Famem patientur vt canes*, n. Itaque illos conſcientia ſic torquebit, vt quicquid oblectare poteſt, cogitare non poſſint. Rea conſcientia velut rabidus canis aſſiduo latratu & morſu in deſperatiſſimam rabiem aget miſeros. Sic vlciſci ſe ſolet cõſcientia, cùm moneret, non audita.

l. *Greg. tom. 3. hom* 40. *in Euang.* m. *Vtique ſolo intellectu, non oculis. Gregorius dicto loco aliud addit videndi modum.* n. *Pſal.* 18. *verſ.* 7.

§. 3.

Alterum, quod damnatis conſcientia

exprobrabit, est *Virtutis neglectus*, &, *Noxarum cumulus*. Omnia ordine conscientia velut è syllabo recitabit, quæ perperâ facta, quæ socorditer omissa. Inde omnes illi sceleratæ stultitiæ seipsos accusabunt; sua cuique conscientia socordiam exprobrans: Et quoties, dicet, precari debuisses, cũ aut somno aut lusibus vacares: preces tuæ & raræ, & ignauæ, ac somniculosæ: iam luis. Quoties ieiunium tibi seruandum, cùm gulæ malles quàm sacris legibus parere: iam luis. Quoties sine rei familiaris dispendio stipem erogare potuisses, cùm tu auaritiæ potius quàm misericordiæ studeres: iam luis. Quoties monitus, quoties rogatus es, vt inimicis veniam dares, vt iniurias obliuione Christianâ digereres, & noluisti: iam luis. Quoties in rebus aduersis patientia tibi commendata est, & noluisti esse patiens: iam luis. Quoties Humilitatis & Charitatis actiones, quæ solius voluntatis sunt, exercere potuisses; non hîc laborandum, nec currendum, nec sudãdum aut algendum fuisset; sine flagris, sine cilicijs, sine rigoribus alijs hæc facillimè

mè feciſſes, & noluiſti: iam luis. Ad ſacramenta percipienda quoties inuitatus, tractus, rationibus impulſus es, & venire noluiſti: iam luis. Occaſio tibi nunquam defuit, tu ſemper occaſioni. Potuiſti, & noluiſti: lue iam, lue nequitias. En tua tot tamq; grauia flagitia; cùm tamen longè ſuauius virtuti licuiſſet operari quàm vitijs.

En perditiſſime, inter iocos & luſus perdidiſti regnum: potuiſſes eſſe felix æternùm, modò voluiſſes: breui ac leui labore beatam immortalitatem tibi paraſſes, modò voluiſſes. En, ſtultiſſime, & pro carnis voluptatulâ, pro ſpurcâ & momentaneâ oblectatiunculâ immenſas vendidiſti voluptates. Nimirum tua tibi caro quàm cælum, carior erat. Sentis iam, quas delitias ſectatus fueris? Prædixi, monui, vellicaui. Sed actum egi, nihil profeci, oleum & operam perdidi. Nunc vindico, nunc ſpes & res abs te ſegregant, ſed tuâ ſoliùs culpâ.

En impuriſſime, vt delectatiunculas ſordidiſſimas pauxillulo temporis retineres, perdidiſti omnia. Procul nunc à te hono-

honores, thesauri, voluptates beatorum, ad quas omnis tibi via intercepta est. Hęc tibi tormenta libidines tuæ pararũt, in hos ignes tua te præcipitauit incontinentia: tuam illam hilarem sed breuem insaniam, nunc luis ęterno luctu. Desperate ploras paradisi gaudijs te priuatum? ipse te priuasti. Acerbissimè doles perenne cæleste epulum neglectum? tu neglexisti. Obseratam tibi cæli ianuam lamentaris? tu eam ipse tibi obseraſti. Ex totò beatissimus iam esses, modò esse voluisses. Facili operâ cælum emereri licuit; sed differendo & negligendo huc sponte irruisti cæcus & amens, hinc nunquam exiturus amplius. Nulla hîc libertas, nulla salus. Despera centies, sexcenties, despera millies, æternum desperaturus, æternum moriturus, & ad mortem nullis sæculis peruenturus. A vultu Dei proiectus es, quia teipsum ab illò auertisti. Nõ alienâ, sed tuâ culpâ peris, æternum periturus.

Hæ conciones erunt conscientiæ, sed ferè nimis & acerbæ. Ad irritum spes omnis cecidit.

Earum

Earum virium est pœnitentia tempestiua, vt culpas omnes deleat, & pœnas culparũ reliquias pariter tollat, aut certè minuat, nec non diuinos fauores augeat. Idcircò ille eremi angelus Ioannes hoc vnum assiduè concurrentium auribus instillabat: *Pœnitentiam agite; appropinquabit enim regnum cœlorum, agite pœnitentiam*, o. Nil horum potest Pœnitentia in Proserpinæ culinâ, culpam nec minimam eluit, nil pœnæ demit, nil gratiæ diuinæ reddit. Hostes Dei sunt, quos tunc primùm pœnitet, nil impetrant, serò nimis sapiunt hi Phryges.

Hæc omnia illi cælo proscripti non ignorant, hinc vermis eorum non moritur. Scelera quę patrarunt, velut in tabulâ descripta vident, & exhorrent. Ridiculam pompam, vestium luxum, & omnẽ vanam gloriam detestantur: iudiciorum suorum temeritatem, & inuidentiæ labem: auaritiæ sordes, & omnis luxuriæ cœnum execrantur furiosè. Cernunt infelices lasciuarum cogitationum suarum immensos aggeres oculis oppositos. Intempe-

o. *Matth. c. 3. vers. 2.*

temperantiæ ſuæ turpitudinem, deſidiæ ſuæ molliciem & veternum, voluptatum ſuarum fallacias, impuriſſimæ Veneris blanditias abominantur, ſed hæc omnia ſerò nimis. Acerbiſſimo planctu ſed irrito vociferantur: *Tranſierunt omnia illa tãquam vmbra, & nos in malignitate noſtra conſumpti ſumus*, p. Potuimus cauenda fugere, exercenda facere potuimus, & noluimus. Hoc æternum occentabit conſcientia. Vermis eorum non morietur.

p. *Sapient. cap. 5. verſ. 6.*

§. 4.

Tertium quo præcipuè Conſcientia domeſticos cacodæmonis torquebit, eſt *Aſpernatio diuinæ gratiæ.* Iobus calidè optans: *Quis mihi tribuat*, inquit, *vt ſim iuxta menſes priſtinos, quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei?* q. Hoc nimium quantum vrit, à ſummis opibus ad incitas deuolui. Non neſciunt damnati quantis olim diuitijs affluxerint. Illis ius cæli tranſcriptũ erat: hæredes

q. *Iob. cap. 29. verſ. 2. & 6.*

hæredes regni potuissent esse, modò voluissent. Recordantur diuinæ gratiæ butyrum copiosissimè sibi fluxisse, quo lauari licuisset, id tamen à se repudiatum esse. Meminerunt olei riuos è petrâ, diuini amoris & misericordiæ fontes è Christo sibi emanasse, hæc omnia tamen suo vitio à se neglecta. Iam clamant, sed frustra: Quis nobis tribuat, vt simus iuxta menses pristinos, quando lauabamus (certè lauare poteramus) pedes butyro, & petra Christus fundebat nobis riuos olei, sanguinis sui. Iam nec olei nec butyri guttula fluit amplius. Diuinæ misericordiæ fons exaruit: diuini fauoris riuuli sunt exiccati. Cęlestis agni sanguis pro nobis frustra fusus est; cruciatus & mors Christi nobis nō prosunt amplius; incassum recidit omnis impensa. Eheu, actum est de nobis.

Atque hoc lacerabit cor damnatorum, quòd operâ leuissimâ, quòd solâ robustiore voluntate cęlo se asserere potuerint, & tamen noluerint: quòd gratiam millies oblatam recusarint millies. Inde in seipsos furenter exardescent miseri,

seri, & assiduò sibi ipsis lugubrem hanc cantilenam occinent: O tempus rerum omnium pretiosissimum! ô dies, & ô horæ pluſquam aureæ, quò euanuistis, æternum non redituræ! Nos cœci & excordes, obstructis oculis & auribus libidine furebamus, & mutuis nosmet exẽplis trahebamus ad interitum. Huc properauimus infeliciſſimi, & monitis omnium spretis cucurrimus ad mortẽ, heu mortem æternam! Quid nunc omnia quæ fallaciſſimus Mundus offerebat, iuuant? Oblectationum priorum meminisse mors est. Voluptas omnis auolauit & euanuit. Et quamuis aliquot annorũ centurijs eâ licuisset frui, quid illa gaudia fuissent ad hæc tormenta? Ah, vmbram solùm captauimus amaræ voluptatis. Quis nos tam crudeliter fascinauit?

O si annis singulis æternitatem vel semel seriò perpendissemus! O vel dieculam, ô vel horulam vnicam impetrare liceat!

Sed frustra sunt hæc vota: actum est, spes omnis præcisa est. Maledictus ergo dies quo nati, maledictus Deus à quo conditi sumus. Hîc

Hîc stylum pono, & impias voces illuc remitto, vnde proruperunt. Maturè sapiat & caueat quisquis hanc conscientiæ lanienam formidat.

§. 5.

Incredibile videretur, nisi testes loquerentur oculi, quàm in rebus fluxis curandis industrij ac solertes, quàm attenti & assidui, quàm vigilantes & acuti, quàm scientes & gnaui, quàm cati cautique simus: nimirum cum corporis negotium agitur, nemo non sapit, nemo non vigilat, nemo non impiger ac sedulus est; hîc viuimus, hîc volamus. Videte mihi vestes elaboratissimè & exquisitissimè factas, videte picturas, ædificia, sculpturas, videte candidissimam sindonem, tenuissimam byssum velut aranearum operas, videte artificiosa horologia, exactissimam Musicam, laboriosissimam mercaturam; quàm in artibus tractãdis, in negotijs conficiendis, in opibus struẽdis, in honoribus obtinendis acres & indefessi simus; at hæc omnia caduca sunt, fluxa sunt, momento transeunt.

Cùm autem pro cælo laborandum, heu

heu quàm inertes & ſtupidi, quàm deſides & ſupini, quàm frigidi ſumus & ſomno pleni! Hac vnâ in re ſolutè ac negligenter agimus, languemus, ceſſamus, iacemus. Veriſſimè dictum: Pro modicâ præbendâ longa via curritur, pro vitâ æternâ vix pes ſemel à terrâ leuatur, r. Hîc pleriq; omnes torpemus; vigilat dæmõ, nos dormimus. At vbi demum ſerio euigilauerit conſcientia, non amplius ſopiri poterit; vret, mordebit, anget, torquebit in omne æuum. Vermis eorum non morietur.

Hic vermis infandis doloribus, & triſtitiâ paſcitur inconſolabili. Dolent damnati amiſſam beatitudinem, & quidem ſine ſpe vlla reparandi tam immenſam iacturam: in dolorum mare præcipitatos ſuâ ſe ſtultitiâ indefinenter cogitant: Neque mœſtiſſimam hanc cogitationem aliâ vnquam lætiore fallere licebit.

Hæc Bernardus attentiore animo cõtemplatus: Quid tam pœnale, inquit, quàm ſemper velle quod nunquam erit, & ſem-

r. *Imitatio Chriſti l. 3. c. 3. num. 2.*

& semper nolle quod nunquam non erit. In æternum non obtinebit quod vult, & quod non vult, in æternum nihilominus sustinebit. Nullus de tantâ numerositate spectantium molestior oculus suo cuiusque. Nō est aspectus siue in cælo, siue in terrâ, quem tenebrosa conscientia suffugere magis velit, minus possit. Non latent tenebræ vel seipsas. Se vident quæ aliud non vident. Opera tenebrarum sequuntur illos, nec est quo se abscondant ab illis, ne in tenebris quidem. Hic est vermis qui non moritur, memoria præteritorum. Semel iniectus vel potius innatus per peccatum hæsit firmiter, nequaquam deinceps auellendus. Nec cessat rodere cōscientiam, eaq; pastus, escâ vtique inconsumptibili perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem, & mortem viuacem. Horreo incidere in manus mortis viuentis, & vitæ morientis.

Itaq; durante animâ durat & memoria. Sed qualis? Fœda flagitijs, horrida facinoribus, vanitate tumida, contemptu hispida & neglecta. Quę priora transierunt,

fierunt, & non transierunt. Transierunt à manu, sed non à mente. Quod factum est, factum non esse non potest. Proinde etsi facere in tempore fuit, sed fecisse in sempiternum manet. Non transibit cum tempore, quod tempora transit. In æternum ergo necesse est cruciet, quod perperam te egisse in æternum memineris. *f.*

f. Bernardus l. 5. de Considerat. ad Eugen. c. 12.

§. 6.

E diui Dominici familiâ theologus & proepiscopus, historiarum æui sui fidelis scriptor rem miram narrat in hunc modum. Præsul in Germaniâ fuit, princeps sanguine, moribus vitaq; degener. Hic primò quidem verecundius inhiare auro, libidini furtiuè indulgere; ita sensim progredi, nec mores emendare; effusis demum habenis in vetitum ruere; rapinis & luxuriæ liberè vacare. Variâ in illū Deus animaduersione vsus est; modò morbis, modò miserijs alijs inuitans ad meliora. Sed frustra. Tandem prout vitam

vitam egit inquinatam, ſic mortẽ obijt non piam. Ea ipſa hora Conradus Hildemenſis epiſcopus ad preces matutinas ſurrexerat. His finitis ad ſuos ſeſe libros contulit, in diem ſequentem ad dicendum ſe paraturus. Hîc ille à ſenſibus aliquantiſper abductus videre ſibi viſus eſt Præſulem tiarâ inſignem, ſed velatâ facie ad tribunal iudicis rapi. Mox aderant qui accuſarent, rapinis potiſſimùm & libidinibus infamem reum. Hîc iudex cõſeſſoribus: Examinate, inquit, cauſam, & dicite ſententiam. Examinarunt, dixerunt. Nec mora: ſatellites adſunt & iudicum ſententijs damnatum, mitrâ, annulo, veſte ſacrificâ, ceteriſque ornamentis exuunt, eaque ad pedes ſupremi iudicis abijciunt. Aſſeſſores loco conſurgunt, & illud vnum, dum abeunt, in iudicij clauſulam pro ſe quiſque dicunt: Ergo, *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes*, t.

Hæc Hildemenſi epiſcopo ſpectata, qui vbi ad ſe redijt, ſecum ipſe inquirere cœpit, quis pręſul ille miſerabilis eo tem-

1. *Gal. cap. 6. v. 10.*

pore obijsse credi possit. Dum hæc animo versat, en ad portam adest qui flens nuntiat, priori vespere suum dominum (nominauit) in proximam villam venisse, iam morte subitâ extinctum. Conradus ad fatum tam lacrimabile altum ingemiscens, non sine lacrimis illud secum repetebat noctes & dies toto animo cogitandum: Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, *u.* Conscientia impura, iam malè quieta, æternis furijs agitabitur.

u. *Thom. Cantiprat. l. 1. C. 3. n. 1.*

§. 7.

Incredibilis vis est conscientiæ, maximè verò post actam huius vitæ fabulã. Nam coram Deo ad suas quisque labes sic erubescet, vt, quamuis panderetur cæli ostium, & illotus ad ingressum inuitaretur, suas tamen ipse maculas & perhorrescens & fugiens recusaret ingredi, dum sordes omnes expiasset. Adeò suam ipsa fœditatem erubescit & auersatur Conscientia.

Ergo, dum tempus habemus, operemur

mur bonum ad omnes. Nam, vt Augustinus ratiocinatur : Quisquis nullâ se adulatione seducit, satis intelligit, cum quanto periculo mortis æternæ, & cum quantâ penuriâ perfectæ iustitiæ peregrinetur à Domino.

Hoc iam agamus, & loquentis conscientiæ monita non repugnanter accipiamus. Nunquam muta est Cõscientia, si sedatum & attentum habeat auditorem. Et reuerà hoc vnicè prodest, hunc vermem animo inhærentem ita iam sentiri, ne sentiatur æternum. Bernardus id asserens: Optimum est, inquit, tunc sentiri vermem, cùm possit etiam suffocari. Itaque mordeat nunc vt moriatur, & paullatim desinat mordere. Mordendo rodat interim putredinem, vt rodendo consumat, & ipse quoque pariter consumatur, ne foueri incipiat in immortalitatem, *x*.

Ergo satius est iam monitricem, quàm illic iugulatricem pati conscientiam. Nam (quod idem Bernardus cogitandum subijcit) Extorres cælo in car-

G 2 ne cru-

x. *Bern. serm de Conuers. ad Clericos. c. 6.*

ne cruciabuntur per ignem, in ſpiritu per conſcientiæ vermem. Ibi erit dolor intolerabilis, timor horribilis, fœtor incomparabilis, mors animæ & corporis, ſine ſpe veniæ & miſericordiæ. Sic tamen morientur, vt ſemper viuant; & ſic viuent, vt ſemper moriantur, z.

Quid agimus mortales? vita breuis, via longa, terminus viæ dubius, tempus exiguum, nil certius morte, nil mortis horâ incertius, ſupplicij & præmij æterna duratio, & à momento vtraque pendet Æternitas. Quid, ô mortales, quid ergo agimus?

z. *Idem l. de Anima c. 3. med.*

Caput VIII.

Septimum AEternitatis Tartareæ tormentum.

LOCVS & SOCIETAS.

Vir cenſorius notiſſimæ virtutis M. Cato, eos qui empturi erant agros, monere ſolitus eſt, viderent ante omnia

omnia, num bonos habituri essent vicinos. Grande malum, vicinus malus.
Mantua væ miseræ nimiũ vicina Cremonæ. a.

Pro inde scitum est illud Themistoclis apud Plutarchum, qui prædium venditurus, hoc quoque præconem addere iussit: *Quod vicinos haberet bonos.* Domus incommoda & ruinę proxima, si vicinos insuper malos habeat, emptorem habebit neminem.

Omnes cælo proscripti eas habitationes incolunt, ad quas haræ nostræ & canum caueæ, palatia & regum conclauia videri possint. Accedit, quod veteri verbo ferebatur, verè salsuginosa vicinia, diabolorum & damnatorum hominum tot centena millia, tot myriades ac milliones, Dei capitales hostes omnes, qui vel paradisum adducant in fastidiũ.

Atque hoc septimum est Æternitatis luctuosissimæ supplicium, LOCVS & SOCIETAS, ille miserabilis supra omnẽ modum, ista nimium detestabilis. Iudex sententiâ decretoriâ vtrumque complexus: Domus hæc ignea, dicet, hic carcer fu-

a. *Virgil. ecloga nona.*

neſtiſſimus, qui *paratus eſt diabolo & angelis eius*, b. non vos initio ſpectabat: Sed quia hoſtium meorum familiaritas gratior vobis fuit quàm omnis fauor meus, Ite nunc, ite, & illorum vobis habitatio non diſpliceat, quorum olim ſocietas tãtopere placuit, Ite in ignem æternum, qui paratus eſt non vobis, ſed diabolo & angelis eius. Fit nonnùnquam vt magiſter in ſcholâ in vnius noxã iubeat ligari virgas, ſed quoniam eadem deinceps culpa plures inuoluit: Hæ virgæ, inquit, non in veſtrum ligatæ ſunt caput, ſed quia in eandem cum immorigero illo incurritis noxam, eandem cum illo ſubibitis pœnam.

Ita Chriſtus ſuis hoſtibus: Angelorũ ſocietate vos frui volebam; paradiſus vos expectabat, ſed quia omni excuſſa diſciplinâ non mihi obtemperaſtis, ſed diabolo: Ite iam, ite, ite, & diaboli ſpelæum habitate; in ſocietate, quam ipſi conflaſtis, perdurate. De hoc loco, atq; de hac Societate nunc porrò agendum.

b. *Matth. cap. 25. verſ. 41.*

§. 1.

§. 1.

Antequam locum subeamus, loci custodem videamus. Olim Trimalcionis domum ad sinistram intrantibus non longè ab ostiarij cellâ, canis ingens catenâ vinctus, in pariete erat pictus, superq; quadratâ litterâ scriptum CAVE CAVE CANEM, c.

Ad ingressum balnei Auernalis prisci affingebant canem Cerberum. De hoc vates Cordubensis.

Posthac auari Ditis apparet domus.
Sæuus hic vmbras territat Stygius canis,
Qui terna vasto capita concutiens sono
Regnum tuetur; sordidum tabe caput
Lambunt colubri, viperis horrent iubæ,
Longusq; torta sibilat caudæ draco.
Par ira formæ----d.

Non vnus talis apud inferos canis est. Tot Cerberi quot diaboli Cerberis omnibus tetriores. Hîc scribo, hîc vociferor: CAVE CAVE CANES. Sed ipsum iam locum inspiciamus.

c. *Arb. Sat. mihi pag.* 19. d. *Seneca Hercules furens.*

Epriſcorum Patrum & Theologorũ placitis eſt, illætabiles illos inferorum receſſus medio terræ ſinu latere. Affirmant id ſacræ paginæ. Nam vbi rebelles Moyſi à Dei populo ſeceſſionem feciſſent: *Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum, deſcenderuntque viui in infernum, operti humo*, e. Iure ſuo hic improborum carcer loco infimo eſt, vti beatorum ſedes amœniſſimæ loco ſummo ac nobiliſſimo.

De carceris illius capacitate ſic ratiocinemur: Si æternæ mortis damnentur trigeſies aut etiam centies mille milliones *f* hominum, ſiue, 100000000000. Flammeus autem hic carcer, ſecundùm omnem altitudinis, latitudinis, ac longitudinis dimenſionem vnũ milliare Germanicum complectatur, ſatis omnino ſpatij habebit, ad obſtupeſcendum illum numerum hominum complectendum.

Car-

e. *Num. Cap. 16. verſ. 32.* f. *Vnus millio, quod bene notetur, decies centena millia hominum comprehendit.*

Carceri conueniunt anguſtiæ. Pars libertatis eſt laxè habitare. Atqui grex damnatorum, canes illi ac porci in arcto habitabunt, eruntque ſicut vuæ in torculari, aut ſalſæ haleces in orcâ, *g.* aut ſicut lateres in fornace calcariâ, aut ſicut ligna in rogo, aut ſicut prunæ in ignitabulo, aut ſicut oues iugulatæ in macello; *h.* arctè ſcilicet & compreſſè vincientur. Anguſtię carceris, & mutua reorum cõpreſſio ad pœnarum acerbitatẽ facit. In exiguum hunc Orbem contrahet Deus ſentinam & fæcem Orbis.

In Orbe hoc noſtro vel maximum gaudiũ turbat loci fœditas. Quis in officina liquati ſeui, aut macerati corij; quis in Augiæ ſtabulo, aut in antro putreſcẽtium cadauerum pleno voluptatem ſentiat, præſertim ſi dies noctesque illic hærendum? Tam inamœnus loci ſqualor ac fœtor omnem è pectore lætitiam expellũt. Quid ergo in illâ diuini furoris officinâ, in horrifico illo Æternitatis antro amœnitatis ſit, vnde omne gaudium,

g. In der Thonnen.
h. *Vide Æternitatem meam Conſid.* 2. §. 1.

luptas omnis exulat, vbi meri meriſſimi dolores. Et quantum ijs augmentum erit locus ipſe profundiſſimus, tenebricoſiſſimus, fœtidiſſimus, & quod lugubre cogitatu, remotiſſimus à cælo, mille clathris ac ſeris, repagulis ac clauſtris mille obſeratus?

Clamat ex alto Abrahamus: *Inter nos & vos chaos magnum* (chaos flammeum) *firmatum eſt, vt hi qui volunt, hinc tranſire ad vos, non poßint neque inde huc tranſmeare*, i. Et tamen Abraham in cælo nondum degebat.

In ergaſtulis noſtris amœna laxitas eſt, ſi illam ſceleratorum foucam ſpectemus. *Sepulchra eorum, domus illorum in æternum*, k. Principes ac Reges, Imperatores & Pontifices claudit hæc domus: nec aliter illic habitant vel opulentiſſimi Cræſi, vel ſtrenuiſſimi Alexandri. Beatus Lucas aſſeuerat: *Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt in inferno*, l. O ſepulchrum nimis profundum! Hoc illius nunc ædes & arces, hoc amœni fontes & arcus

i. *Luc. cap. 16. verſ. 26.* k. *Pſal. 48. verſ. 12.*
l. *Luc. cap. 16. verſ. 22.*

arcus triumphales, hoc viridaria & horti pensiles, hoc tepida balinea, hoc magnifica theatra, hoc laxissima palatia: tota domus, sepulchrum est angustissimum. Nec tamen hic soluti & liberi, sed vincti habitant & ligati. Rex Magnus imperãs: *Ligatis*, inquit, *manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores*, m. Non ambulare, sed nec mouere se poterunt hi rei quò volent: manus pedesque vincti, & velut infixi verubus ardebunt, miserandum ignis pabulum.

m. *Matth. cap. 22. vers. 13.*

§. 2.

E veteri historiâ liquet, complures nec tantùm infimæ sortis homines, velut peregrinas aues, cauea inclusos.

Rex Macedo Alexander Callisthenem Olynthium insidiarum insimulatum, vel quòd regi suasisset ne affectaret ab Athenienſib⁹ Dominus appellari, auribus, labris, ac naribus abscissis, ceterisque membris crudeliter truncatis deforme ac miserandum spectaculum reddidit, & cum cane, ferreâ clausum caueâ

circumferri iussit. Dum Lysimachus tãti viri misertus, & anteà illius etiam auditor, venenum ei præbuit, vt pœnam quam non culpis sed libertati penderet, finiret, *n.* O beatam Callisthenis caueã, ad flammeam tot sceleratorum carnificinam!

Quæ Callisthenem, eadem & alios fors inuoluit. Tamerlanes *o.* Orbis terror, Baiasiten *p.* Turcarum Imperatorẽ victum, & caueâ ferreâ inclusum, spectaculo & ostentui cunctis circumduxit triennio, *q.*

Rex Daniæ Christiernus, Anno millesimo quingentesimo vicesimo secundo, à priscâ religione defecit. Tribus deinde regnis ob crudelitatem exactus, miserè tandem perpetuis vinculis addictus, & Anno millesimo quingentesimo trigesimo secundo, tanquam indomita bellua in clathratam caueam coniectus, nec ante mortẽ inde liberatus est, *r.* Verùm

n *Seneca, Valerius, Iustinus, Suidas, Curtius, alij.* o. *Seu, Temir-lancus.* p. *Seu, Baiazetem.* q. *Lipsius l. 2. Monit. Polit. C. 5. Mon. 2.* r. *Genebrar. in Hadriano & Lex Iouio.*

rùm ò mites Baiasitæ ac Christierni caueas, ad illas damnatorum comparatas!

Sed nec Valerianus Imperator Romanus à Sapore Persarum rege suauius est habitus. Nam caueâ pariter inclusus, nec eâ vnquam egressus, nisi cùm Sapori equum ascensuro, tergum præbere, scabelli loco coactus est, *s*. Demũ Valeriano cutis detracta, & carnes sale conditæ sunt. Eodem modo Renzus Friderici filius in caueam contrusus vitam finijt, *t*.

Sic & Marcus Arethusiorum episcopus eloquentiâ sanctisque moribus ornatus, martyr patientissimus, impio Iuliano imperante, primò pueris, vt aciculis compungeretur, expositus: dein garo ac melle perunctus, caueæ inclusus, æstuante sole sub dio suspensus, crabronibus, vespis, culicibus, muscis lacerandus est obiectus, vt diu se mori sentiret. *u*.

Sed ô blanda hæc supplicia, ô caueas voluptate plenas, si flammeis inferorum caueis conferantur. Pictura est, vmbra

s. *Baronius ad ann. 262. t. Sutuica Goldasti.*
u. *Suidas, V. Marcus.*

est, quicquid cruciatus hîc tolerandum. Nam sua & his tormentis iucunditas est: solatur temporis præsentis breuitas, quo hæc ferenda; excitat futuri gaudij perennitas inter superos obtinenda. Scimus id quod in præsenti est tribulationis nostræ, leue ac momentaneum esse.

Ita duramus inter athletas Domini, & quò plus doloris sentimus, hoc maius præmium speramus. At illi Orcinis caucis circumclusi, nec à præsenti tẽpore, quod neglexerunt, nec à futuro quo semper in tormentis erunt, quidquam habent leuaminis. Sed hæc diuinæ iustitiæ lex est, vt tortores illos & hostes sentiant improbi, quos suasores & amicos antè fuerant secuti; & quia luxuriæ suæ prata quærebant, x. nunc carceres habitent, & caueas. Ab æuo in æuum sic erit.

x. *Sapient. cap. 2. vers. 8.*

§. 3.

Reuerà si mortis æternæ reos non alia vlla exerceret pœna nisi hæc vna, tam fœdo carcere inter tot hostes æternum claudi, pœnarum satisfaret, abũdè satis.

Quid

Quid iam cruciatus alij, conſcientię vermis, fames ac ſitis, perpetuus ignis, & quod prorſus inexplicabile, tormentorum nullus finis.

Hic ſtat⁹ in barathro multos durabit in annos.

Verè multos, quia vniuerſos, nec tamen vniuerſos quos numeratura eſt Æternitas. Quæ & numerabilis ſimul & innumerabilis eſt. Quâ parte cœpit, numerabilis; quâ finis cogitatur, nec tamen erit, penitus innumerabilis eſt.

Iſaias hunc æterni exilij locum graphicè deſcribens: *Et conuertentur*, inquit, *torrentes eius in picem, & humus eius in ſulfur, & erit terra eius in picem ardentem*, y. Ioannes, hunc locum *ſtagnum ignis & ſulfuris* vocat, z. Chriſtus *caminum ignis*, a. Iobus *terram tenebroſam, & opertam mortis caligine, terram miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*, b.

Sed quâ ratione, dices, hæc Auernalis Ætna, hoc omnium miſeriarum receptaculum animo ac mente concipiendum,

y. *Iſ. Cap. 34. v. 9.* z. *Apoc. C. 19. 20. 21.* a. *Matth. c. 13. v. 42.* b. *Iob c. 10. verſ. 21. & 22.*

est, quicquid cruciatus hîc tolerandum. Nam sua & his tormentis iucunditas est: solatur temporis præsentis breuitas, quo hæc ferenda; excitat futuri gaudij perennitas inter superos obtinenda. Scimus id quod in præsenti est tribulationis nostræ, leue ac momentaneum esse.

Ita duramus inter athletas Domini, & quò plus doloris sentimus, hoc maius præmium speramus. At illi Orcinis caucis circumcluſi, nec à præsenti tẽpore, quod neglexerunt, nec à futuro quo semper in tormentis erunt, quidquam habent leuaminis. Sed hæc diuinæ iustitiæ lex est, vt tortores illos & hostes sentiant improbi, quos suasores & amicos antè fuerant secuti; & quia luxuriæ suæ prata quærebant, x. nunc carceres habitent, & caueas. Ab æuo in æuum sic erit.

x. *Sapient. cap. 2. vers. 8.*

§. 3.

Reuerà si mortis æternæ reos non alia vlla exerceret pœna nisi hæc vna, tam fœdo carcere inter tot hostes æternum claudi, pœnarum satisforet, abũdè satis.

Quid

Quid iam cruciatus alij, conſcientię vermis, fames ac ſitis, perpetuus ignis, & quod prorſus inexplicabile, tormentorum nullus finis.

Hic ſtat' in barathro multos durabit in annos.

Verè multos, quia vniuerſos, nec tamen vniuerſos quos numeratura eſt Æternitas. Quæ & numerabilis ſimul & innumerabilis eſt. Quâ parte cœpit, numerabilis; quâ finis cogitatur, nec tamen erit, penitus innumerabilis eſt.

Iſaias hunc æterni exilij locum graphicè deſcribens: *Et conuertentur*, inquit, *torrentes eius in picem, & humus eius in ſulfur, & erit terra eius in picem ardentem*, y. Ioannes, hunc locum *ſtagnum ignis & ſulfuris* vocat, z. Chriſtus *caminum ignis*, a. Iobus *terram tenebroſam, & opertam mortis caligine, terram miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*, b.

Sed quâ ratione, dices, hæc Auernalis Ætna, hoc omnium miſeriarum receptaculum animo ac mente concipiendum,

y. *Iſ. Cap. 34. v. 9.* z. *Apoc. C. 19. 20. 21.* a. *Matth. c. 13. v. 42.* b. *Iob c. 10. verſ. 21. & 22.*

dum, vt imago eius in animum ſæpius incurrat?

Subit memoriam colloquium, quod inter duos fuit amicitia cõiunctiſſimos, quorum alterum Oreſtem, Pyladẽ dixiſſes alterum. Quærebat Pylades (ſic nominemus) quomodo ante oculos animumque proponendus damnatorum carcer? Tum Oreſtes: Putem, inquit, rem hanc ita docendam. Demittatur quiſpiam Vere aut Autumno, frigidiore anni tempore, in profundam ſubterraneam foueam, vbi nec focus, nec menſa, nec lectus. Huc ſemel duntaxat de die fruſtillum mucidi ac pænẽ ſaxei panis, cum pocillo ſeu caliculo fœtentis aquæ, ſubmiſſus funis tenuiſſimam hãc annonam porrigat. Addatur tam opiparæ menſæ ſchedula, quæ hominem in imâ foueâ iacentem moneat, non aliud opus ab eo exigi, quàm vt æternitatem dies noctesque perpetim meditetur. Ad quæ Pylades: Optimus, inquit, modus Æternitatem efficaciter cogitandi, eamque in animum penitiſſimum velut transfundendi. Et quæſo, ſi non ingratum, hîc

paullò liberalius de hoc tali homini philosophemur in rem nostram.

§. 4.

Principiò quidem huic homini, tres hebdomades, tres omnino anni videbuntur: & vbi in auras emerserit, diriſſima ſe paſſum dicet. Sed quæ illa tandem? Famem, ſitim, frigus, defectum ſomni, & omnis ſolatij penuriam. Rem dicit. Sed videte, obſecro, quàm tolerabilis ac mã-ſuetus hic carcer ſit, imò diæta, c. ſeu, viridarium amœnum, ſi cum æterni barathri cuſtodijs conferatur. Nam ille ipſe in eam ſcrobem deiectus homo, tantillum ſaltem alimẽti ac potus habuit quo viuere liceret: Apud inferos nec cibus nec potus eſt.

Deinde hominem illum nemo irriſit, nemo illi inſultauit, nemo flagris eum ceciſdit: Apud inferos hæc non quotidiana ſolùm, ſed aſſidua ſunt.

Tertiò, illi homini quieſcere interdiu, noctu dormire licuit; tametſi quies turbatior, & ſomnus nonnihil fuerit contractior: At verò apud inferos nullus ſomnus,

c. Luſthauß.

somnus, quies nulla, nec vnico quidem momento.

Quartò, hominis illius animum nulla discerpsit ægrimonia; abfuit mœror, pauor, stupor, eiulatus, angor, horror, desperatio: Apud inferos hoc mulsum omnibus, etiam nolentibus ingeritur.

Quintò, corpus omne illius hominis à cruciatibus immune fuit; nec alius eũ morbus, quàm fames, sitis, ac frigus infestauit: Apud inferos omnia & singula damnatorum membra torquẽtur; Animus vndequaque afflictissimus in igne & semper viuit, & semper moritur. Omnĩ morte acerbior est mors ista.

Sextò, ille in cauum subterraneum demissus, etsi procul voluptatibus fuerit, extra solem, sine socijs, extra conuiuia, sine lusu animique relaxatione, in spem tamẽ ingredi potuit redeundi ad solem, & ad socios, & ad conuiuales epulas, & ad voluptates ceteras: At verò apud inferos spes penitissimè decollauit; spes omnis hîc abscissa est, hîc spei nihil est.

Ad

Ad primum loci ingressum sciũt, nec ad solem, nec ad socios, nec ad vllã ampliùs voluptatem fore regressum. Conspectus Numinis, societas Angelorum, delitiæ cælestes sic ereptæ sunt, vt eas recuperãdi spes nulla, heu nulla sit, nec esse possit. Desperatio illic æterna domi suæ est, & damnatorum nemini parcit.

Videte Christiani, quàm leui impendio, in Æternitatis notitiam venire liceat.

§. 5.

E diui Dominici familiâ vir eruditus d. narrat, quod iam dicta firmet. Homo ioculator, & dicax scurra, in virorum nobilium coronâ, Ecclesiastæ verba, quę eo manè audierat, ludo cauillari cogitauerat, & quò magis facetiæ placerent, vt maximè serius exorsus: Nostis, inquit, vos mei domini, quàm ego vobiscum faciam in symposijs, conuiuijs, lusibus, choreis, tripudijs omnibus, fidelissimus comes ad omnem hilaritatem. Sed audite, obsecro, quid mihi nuper euenerit.

Plumis

d. *Ioan. Iunior in scala cæli.*

Plumis iacebam mersus, & vt somnum inuitarem, cogitare mecum cœperam: Si iam alligeris hîc, vt annis viginti aut triginta nec loco te mouere possis, quid facias ad liberandum te? Quid si aliter libertas non detur, nisi eâ lege, vt nuntium remittas & socijs, & omni comessationi. Ego verò, dicebam ipse mecum, Iouem lapidem iurabo (si sic opus) & eiurabo socios, sympositia, conuiuia, lusus, choreas, tripudia omnia, modò meæ restituar libertati. Sed quid facias, oro, si sis in aulâ Ditis, non plumis sepultus, sed flammis, non compotorum medius sed diabolorum, vbi vetitũ solari & colloqui, vbi aquæ guttula non minus pretiosa, quàm cella generosissimo Falerno plena. Vbi ingressus, qualis animantium ad leonem ægrum, quorũ omnia vestigia introrsum spectabant, nulla cernebantur redeuntium. Subire Orcum facile; sed reuocasse gradum quis vnquam visus est? Tu ergo si hîc sis, dic amabo, quid facias?

Dixit, & hac oratione suâ ita subitò mutatus est, vt videri potuerit mimus Iuliani

Iuliani Cæsaris Porphyrius, qui dum gesticulatur in theatro, & Christiana sacra imitatione mimicâ irridet, repentè seipsum exuens, iamque alius Christianum se proclamauit constantissimè. Et verò etiam vt Christianus martyr gladium excepit fortiter. Ita res nata è ioco. Nec aliter ille cauillator, in serium conuertit, quicquid per iocum dixerat. Ita sibi aliisque plurimum profuit.

Optima est hæc & minimè fallax ratiocinatio, à leui breuique molestiâ cruciatus æternos æstimare. In eam rē Hieronymus monet: An putamus, fratres, quòd iocando prophetæ prædicent, ridendo loquantur Apostoli, Christus infantiliter comminetur? Ioci non sunt, vbi supplicia intercedunt, *e.*

e. Hieron. ad Pom. & Ocean.

§. 6.

Sed præter locum apud inferos omni genere cruciatuum infamem, est etiã societas omni modo detestabilis. Quemadmodum verò beatis cælitibus inexplicabilem

cabilem afferet voluptatem, Orbis Seruatorem Christum, beatissimam Christi matrem & discipulos, tot millia totq́ue myriadas generosissimorum martyrum suis oculis aspicere, Angelorum choris medium esse: Sic & reprobis tormentum erit horribile, societate tam execrabili æternum liberari non posse. Quid sentias, si cogaris, dum sanus es, inter vlcerosos, morbidos, cadaueroſos homines in eodem hypocausto noctes diesq́ue agere, crura sanie taboq́ue fluentia cernere, fœtores ferre, lamenta eorum & complorationes varias audire, cùm ille ingemiscit, hic queritatur, ille tussit, hic pænè pulmones eijcit, alius plorat, propè expirat alius. O qualis infernus est, dices, inter hos viuere? Sed, ô bone, quàm hoc ad infernum nihil est! Balsamum est, quod fœtorem vocas; Musica est, quod lamentationes dicis; ludus est quod cruciatum appellas; paradisus est, quod infernum credis. Nam si graue ac molestum sit inter paucos versari quibus odio sis: quid ergo molestius, quid acerbius, quàm illic esse vbi nemo

alterum

alterum amat, vbi omnes alternis flagrant odijs?

Hi mores sunt in aulâ Satanæ omnes sic mutuis ardent odijs, vt alter alterum, si posset, dentibus laceraret. Nam hi ardentes incolæ & in alijs & in seipsis imaginem Dei extremè oderunt. Sicut enim Deum, sic quicquid est Dei, summo prosequuntur odio: at inter tales domesticos semper viuere, acerbissimum vitæ genus est. Et hîc illud prisci poctæ verissimum:

Nec possum tecum viuere, nec sine te, f.

Oculos verò potissimùm torquebit eorum præsentia, qui caussa (quomodocunque demum) extiterunt condemnationis, seu parentes, siue vxor, siue liberi, cognati, socij, familiares fuerint, quibus annumerandi & ipsi diaboli, qui à supremo iudicio, tortores erunt hominum è theologorum mente) vt sentiant eò præcipitati, quibus se dominis olim subiecerint. Ab hac societate nunquam posse liberari, grauius supplicium est quàm in foueam serpentibus

f. *Martialis l.12. epigr.47.*

bus plenam conijci, nec inde vnquam educi; à colubris assiduè morderi, nunquam emori.

Hæc societas minimè socialis, id facilè à quouis impetret, vt prauas illas societates potantium, ludentium, peierantium, obscæna crepantium, vitia communicantium quàm studiosissimè fugiat, & quicquid mali exempli est caueat religiosissimè. Nam in omni noxarum genere, cumprimis cauendum, ne alijs malo exemplo simus. Proclamat Christus: *Væ Mundo à scandalis: Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Væ Mundo à scandalis. Væ homini per quem scandalum venit*, g. Mali exempli noxæ (scandala vocamus) Ditis aulam longè ditissimam faciunt. Ergo, *melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij, in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, viuens cogitat quid futurum sit*, h.

Vnusquisque rem suam agat, idque maturè.

g. *Matth. cap. 18. vers. 6. & 7.* h. *Eccles. c. 7. vers. 3.*

maturè. Omnis gens humana gemino ad Æternitatem ducitur ingreſſu, ſed egreſſus inde nullus. Ingreſſus es in cælum? Securus eſto, hinc nemo ampliùs exturbatur. Ingreſſus es in Orcum? Certiſſimus eſto, nulla dabit egreſſum ianua, nulla patebit vel rimula. Iam ciuis es; domicilium collocaſti, ſedem ſtabilem fixiſti: hîc habitabis æternùm. Illud Eccleſiaſtæ noſti: *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit*, i.

i. *Eccleſ. Cap.* II. *verſ.* 3.

CAPVT IX.

Octauum AEternitatis Tartareæ tormentum.

DESPERATIO.

MIrabantur olim Thebani, Rempublicam Lacedæmoniorũ adeò florere, ciues in officio contineri, rara in eorum ciuitatibus vitia graſſari. Miſerunt ergo Philonium philoſophum

qui singula obseruaret curiosus arbiter, leges & quicquid ciuici iuris esset, scripto ad se perferret. Philonius omnibus exactè obseruatis Thebas redijt, & vt publicè de legationis suæ munere responderet, horrificam supellectilem per theatrum explicans, virgas, laqueos, taureas, flagra, fidiculas, catastas, equuleos, secures, rotas, cruces proposuit, & aliquamdiu altùm siluit; demum in vocem erumpens: En, inquit, vel oculis spectate, ô ciues Thebani, quid Laconum disciplinam sanciat: Nemo apud ipsos vitiosus est impunè. Sunt sua virtuti præmia, sunt & sua scelerì supplicia, eaque seria. Hinc mores illorum nostris emendatiores.

Orbis legislator Deus, sapientissimè munus suum administrans ne disciplina labatur, non furcas, non secures, non rotas, sed gehennam, sed rogum semper arsurum intentat. Nihilominus (prô nefas hominum!) Orbis etiamnum in diuinas leges audacissimè delinquit: quid, oro, non auderet, si Deus vnius horulæ aut diculæ supplicia, vel carceres anno bien-

bienniόue tolerandos minaretur? At verò cùm ijs omnibus, qui diuinas leges euertunt, Æternitatis carcer, & immortale ſupplicium ſit decretum, eſt quod vehemẽtiſſimè miremur Legiruparum innumeros etiamnum reperiri.

Vnde, obſecro, incredibilis hæc temeritas plurimorum? *Non eſt timor Dei ante oculos eorum*, a. Cùm mitiſſimus Deus non mox toties ſua mittat fulmina, & ad inferos præcipitet, quoties peccant homines, ideò vitia incredibilem induunt impudentiam; hinc plurimi metu ſecuri viuunt, leges perfringunt, & quà data porta ruunt in vetitum. Spes falſa plurimos ſenſim ac blandè ducit in ipſum deſperationis barathrũ. *Deſperatio* Æternitatis luctuoſiſſimæ octauum eſt ſupplicium, de quo hoc capite diſſerendum.

a. *Pſal.* 13. *Verſ.* 3.

§. 1.

Spes, omnium in hoc Orbe moleſtiarum, laborũ, miſeriarum admirabile lenimentum. Vnguẽtum eam eſſe dixeris, quod omnes reficit laſſitudines. Spes,

duo præcipuè ſpectat, & *Fructum* & *Finē*, Quicquid lacrimarum eſt, his velut ſpōgijs duabus facilè ſiccatur. Generoſos Chriſti athletas, inuictos martyres, plurima paſſos, plurimum tamen ſolabatur patientiæ Fructus. Idem ſolatij habent, quicunque bona agunt, vt Bernardus loquitur, & mala patiuntur.

Eſt qui prædium multis millibus philippeorum emat, dicatque eius emptionis ſe minimè pœnitere, cùm omnes expenſæ tempori, nec ſine honeſto fenore ſint redituræ. Hoc apud inferos omne ſupplicium vehementiſſimè accendit, acerbiſſima quæque ſine omni tamen emolumento pati. Apud nos lacrimula vel vnica, modò ſeria grauiſſimas noxas delere poteſt: Apud inferos nec leuiſſimam quidem culpam quanticunq; cruciatus expiant, ſed nec aquæ guttam impetrant.

Quàm graue eſt paganæ ac paupertinæ plebi, cùm vecturæ, aliæque operæ gratuitæ *b.* impetantur. Duriſſimus ſcilicet

b. Iuriſconſultis, Angariorum exhibitio, Schar-werck.

licet labor est sine spe mercedis. Sic mancipia quę suis dominis, nil sibi lucrantur, quicquid denique lucrentur, altero tanto grauiorem putant laborem, cùm *Fructus* desit: restat tamen quod soletur *Finis*. Sic laborantibus peroptatò Mors interuenit. Sed hoc etiam negatum est illis captiuis. *Quærent mortem, & non inuenient eam; & desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis*, c. Habebunt, inquit Augustinus, impij in cruciatibus vitam. Sed qui viuũt in tormentis, cupiunt (si fieri possit) finire talem vitam, sed nemo dat eis interitũ, vt nemo auferat cruciatum, *d.* Pœne illic non tantùm sine fine, sed recrudescẽtes perpetim & nouæ. *Æstuabunt, & omnis dolor irruet super eos*, e. Atque hinc furiosa desperatio, desperatio desperatissima. Rectè prisci:

Vltima omnium malorum dira desperatio est.

Sunt qui desperent, sed semel dumtaxat, nam desperationem mors excipit. At in gehennâ, vno die, imò vel horâ vnâ millies desperant, imò verò continua est

c. *Apoc. c. 9. v. 6.* d. *Aug. serm. 112. e. Iob. c. 20. vers. 22.*

eorũ desperatio velut febris hectica, febris continua. Quicquid cogitant damnati, rabida desperatio est. Seipsos, modò possent, suismet dentibus discerperent, per omnia membra cultros immergerent, mortem patulis vlnis ad se traherẽt; *sed mors fugiet ab eis.*

§. 2.

Qui aduersis casibus succumbunt spe destituti, ad aquas currunt, aut ferrum in se cõdunt, aut sibi laqueum induunt, aut venenum hauriunt, aut per præcipitia ruunt, vt simul & vitæ, & mali, vt putant, finem inueniant: In Orco nec vitæ, nec malorum, nec mortis vllus finis inueniri potest. Non hîc aquæ, non ferrũ, non laqueus, non venenum, non præcipitia sunt vt extinguant, hæc tamen illic omnia sunt vt torqueant: simul hîc desperatio assidua, interminata. In hanc potissimum conijcit supremum iudicis decretum: Discedite à me maledicti, in ignem æternum. Hîc nulla causæ repetitio, nulla sententiæ reuocatio, retractatio nulla est speranda. Hoc vltimum & irreuocabile decretum Augustinus. *In-*

commu-

commutabilitatem diuinæ ſententiæ rectè nominat, *f.*

Angelus à Ioanne viſus iurabat per viuentem in ſæcula ſæculorum, quia tẽpus non erit amplius, *g.* Sed erit æternitas & remuneratio eorũ quæ geſta in tempore. Hoc Angeli immutabile iuſiurandũ, hanc Domini fatalem ſententiam damnati omnes tam certâ fide aurium percipient, vt hæc verborum procella, hoc tonitru horribiliſſimum, in auribus eorum, perpetuis fragoribus inſonet: In ignem æternum, In ignem æternum, In æternum, heu, in æternum ignem. Horũ verborum nec ſyllabula quidem audientes fallet. Hæc damnati audient & capiẽt; nos audimus, ſed non capimus.

Quemadmodum verò ſedes beatorum, complexus ac compendium eſt omnium gaudiorum; ita ſedes inferorum, epitome ac ſummarium eſt omniũ dolorum. Quicquid vſpiam acerbum, lacrimabile, horrificum eſt, apud inferos ſentitur; quicquid vſpiam amœnitatis,

f. *Aug. tom 4. l. 2. Euang. quæſt. q. 37.* g. *Apoc. cap. 10. Verſ. 6.*

delitiarum, gaudij, voluptatis est, apud superos pleniſſimè percipitur.

In Orbe noſtro nullum eſt tam grãde malum, cui non ſuum etiam ſit pharmacũ. Omnis ægrimonia leniminis aliquid habere poteſt ſi velit. Solatium præbet nunc ratio, nunc ſomnus, nunc menſa, nunc colloquia, nunc ipſum tempus; modò amici, modò cognati, modò alij ſimilia experti, demum ipſa ſpes finis afflicto plurimũ refrigerationis affundit. At verò in regione Plutonis portæ omnes occluſæ ſunt ſolatijs, omnes hîc aditus vel minimis leuamentis ſunt intercepti. Nihil auxilij, ſolatij nihil nec è cælo, nec è terrâ; nec à rebus præſentibus, nec à futuris nec à præteritis ſperãdum. Quocunque oculos vertunt, Æternæ mortis ſpicula in ſe torqueri cernunt. Vndique luctus & anguſtiæ, vndique mœror & dolor, vndiq; & vndiq; cruciatus innumeri. Verè *Circũdederunt eos dolores mortis*, & angores deſperationis. Verè, *Tribulationẽ & dolorẽ inuenerunt*, h. & ideo nomẽ Domini maledictis aſſiduis inceſsũt.

h. *Pſal.* 114. *verſ.* 3.

§. 3.

§. 3.

Hanc sceleratorum desperationem incredibiliter augebit, certò scire, tot ac tantis supplicijs nec minimam quidem labeculam & culpam expiari posse. Tam enim letalis noxæ venenata vis est, vt etiam minora ac leuiora piacula, capitali tamen crimini coniuncta puniantur æternum. Exempli gratiâ. Sunt quotidianæ sordes, otiosa dicta, superuacuus risus, copiosior cibus, incautior oculus, remissior in precando animus. Hæc talia, dum viuimus, non difficulter expiamus. Bolus vnicus genio subtractus, gemitus aut suspirium vnicum, leuis patientia, facilis seu manus siue oculi cõtinentia minores eiuscemodi næuos eluit. Si verò mortiferum facinus noxæ minimæ in Orco iunctum sit, vtrumque vindicabitur æternitate totâ. Atque hoc desperationis grande incrementum est.

Verè Deus in hoc Orbe mitissimâ & parcente dextrâ castigat, in altero plumbeam ferreamque manum ad feriendum extendit, nec reuocat extentam.

Porrò hæc desperatio è spe nascitur, sed nimiâ, quam Præsumptionem dicimus. Huic fugiendæ Siracides monet: *Ne dixeris, peccaui, & quid mihi accidit triste? Altißimus enim est patiens redditor. De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adijcias peccatum: Et ne dicas, Miseratio* Domini *magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Non tardes conuerti ad* Dominum, *& ne differas de die in diem; subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te,* i.

Optimè Gregorius: De omnipotentis Dei misericordiâ ordinatè confidit, qui hoc quod peccando deliquit, pœnitendo (& non repetendo) corrigit, k. Quisquis aliter, non spe, sed temeritate impellitur.

i. *Eccli. Cap. 5. Vers. 4, & seqq.* k. *Greg. in l. 1. Reg. c. 3.*

§. 4.

Credibile prorsus est, vix vllum Christiani sanguinis ad Erebum detrudi, qui non, dum viueret, protractius vitæ spatium sperarit, arbitratus mortem multò serius

seriùs ad se accessuram. Ex hac tam fallaci spe, desperatio demum nascitur æterna.

Nec illud minus credibile inter illos desperatissimos captiuos vix vllum esse, qui dum supereſſet, non sæpius occultè deperarit hoc modo: En, actum ago; nunquam alios mores induam; assueta relinquere nimis durum est; nihil proficiunt conatus mei; frustra sum; sanctior nõ ero, nisi ad Calẽdas Græcas. Sic igitur pergamus, & fruamur bonis quæ sunt, *l.* Mors properat; ibimus breui, ibimus omnes. Valedicamus ergo maturis gaudijs, & abitum nostrum voluptate celebremus, *m.* Hoc reuera desperare est.

Obsecro vos, Christiani, per vos, perque salutem vestram, perque Domini mortem, hunc modò scopulum vitate, naufragium certum est, si nauis huc allidatur. Dum vita est, nũquam sera nimis emendatio est. In vitia millies prolapsi sumus? Resipiscendo millies surgamus. Nunquam serum est, velle sanctiorem

l. *Sapient. cap. 2. vers. 6.* m. Wollen vns letzen.

fieri. Quouis die, vel quauis etiam horâ, pro se quisque dicat cum psalte regio: *Dixi, Nunc cœpi*, n.

Quisquis ad eam redigitur imbecillitatẽ, vt nec conari amplius, nec sui ipsius emendationem vrgere velit, sed habenas laxet naturæ quocunque anhelanti, is demum in omne vitiorum genus prolabetur. Hunc iure suo vocabimus *Desperatum*, cui venale cælum est, cui gehenna tolerabilis carcer videtur, qui nihil minus cogitat quàm Æternitatem, homo perditus.

Verissimè dixit Bernardus: Desperatio sibi omnem malitiæ consummationem vendicat, o. Desperationi plurimũ facit ignorantia Dei. Est qui resipiscere cogitet, & hominem Christianum agere, si autem quàm bonus sit Deus, ignoret, sua ei cogitatio dicet: Quid facis? Et vitam istam vis perdere, & futuram? Peccata tua & multa nimis, & grauia sunt: Pellem exue, nec tamen satisfacies. Delicatè hactenus vixisti, iam subitò mutas? Consuetudinem non vinces; quicquid agas,

n. *Psal. 76. v. 11.* o. *Bern. serm. 37. in Cant.*

agas, in eadem atque eadem recides. Permitte hæc igitur suis ire passibus.

Ita miser in voraginem sensim abducitur. Bernardo teste, Portæ inferi, cæca desperatio, *p.*

p. *Bern. in sentent.*

§. 5.

In nostris carceribus reos reperias tã proiectæ vitæ homines, vt in ipso carceris loco (quod ipse meis oculis vidi) furcas & patibula parieti appingant, tanquam sibi gratulentur de futuro sepulchro tam sublimi. His scilicet patibulũ iocus est. Nec defuerunt ex eâdem nebulonum tribu, qui, dum socij attollerentur in furcam, ipsi sub furcâ præciderent plurium crumenam, non tam spectatores quàm actores. Simillimè prorsus nos agimus (sit venia dicto) & Æternitatis aleam ingenti temeritate tentamus.

In carcere sumus, incerti quo die, quâ horâ producendi ad supplicium simus. Nos interim ridemus & iocamur; nil metuimus, nugamur, fabulamur, tempus perdimus, delitiamur. De gehennâ differentes

rentes quidem audimus, aut ipsi de eâ disserimus, sed sine sensu, perinde si hæc nihil ad nos. Quotidiana & sæpe immatura spectamus funera, vix tamen nos etiam morituros, cogitamus. Æternitas nobis identidem inculcatur. Quis monetur, aut quãdiu hic motus durat? Calamitates Orbis, iusta delinquentium supplicia cernimus, nec resipiscimus, atque ita sub ipso patibulo animosè delinquimus. Hoc sanè tacita est desperatio, & ad furibundam illam ac æternam planissima via.

Miles Romæ, quod beatus Gregorius narrat, *q.* acceptâ letali plagâ, aliquanto tempore in mortuum iacuit. Sed vbi ad se redijt, tanquam rediuiuus, quæ in Orbe alio vidisset, recensuit hunc in modum: Ad amœnissima prata pons extensior ducebat. Pontem subtermeabat fluuius teterrimi cœtoris nebulam exhalans. Ponte transmisso primę amœnitatis viridaria, & in ijs non exiguus cãdidatorum numerus occurrebat. Locus hic omnium gratiarum, longè gratissimos

q. *Greg. l. 4. dial. c. 36.*

mos è floribus odores illic ambulãtibus afflabat. Domicilia hîc complura elegãtissimè structa. Huc per pontem euadere conabantur plurimi, sed irrito conatu. Nam quisquis minus religiosè vixisset, pontem superare nequaquam poterat: soli transibant integri morum, scelerisq; puri; qui verò vitam sceleribus inquinassent, in fœdissimum illud flumen præcipites abibant.

Dum in vitâ sumus, extra hunc pontem ambulemus, spe pleni. Nunquam tam turbidum est mare, nec cælum vnquam tam ferreum & inexorabile, quin speremus meliora. Remedium denique malorum omnium est finis. At verò qui è ponte iam excussi sunt, iamque pleno ore Cocytum bibunt, spe omni destituti sunt. Nimirum vbi spei finis, illic desperationis est initium, sed sine fine. In Eumenidum regno mera merissima desperatio est. Procul illinc, procul iam prorsus spes omnis exulat. Quicquid eò præcipitati cernunt, audiunt, intelligunt, desperationis pleniss imũ est. Æternus dolor, æternus luctus, æterna mors. Fine scilicet,

licet, malorum omnium remedio carent.

§. 6.

Igitur, ô damnati, æquissimus iudex *congregauit super vos mala, & sagittas suas compleuit in vobis*, r. *Insanabilis est fractura vestra, pessima plaga vestra; plaga inimici percussi estis, castigatione crudeli. Insanabilis est dolor vester, propter multitudinem iniquitatis vestræ*, s.

Quæsiuit olim ex vate Hieremia Deus: *Quid tu vides Hieremia? Cui vates: Virgam vigilantem ego video.* At Dominus secundum: *Quid tu vides? Ad quæ Hieremias: Ollã, inquit, succensam ego video*, t. Nostræ omnes, dum viuimus, pœnæ quid nisi virgæ sunt minimè atroces & sęuæ? His optimi quique filiorum castigantur, & gratias agunt ob tam mite supplicium.

Hebræus rex Dauid: *Virga*, inquit, *tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt*, u, *Virga directionis, virga regni tui*, x. Quamuis enim seu baculo seu virga hac feriamur,

r. *Deut. c. 32. v. 23.* s. *Hiere. c. 30. v. 12. 14. & 15.* t. *Hier. c. 1. v. 11. & 13.* u. *Ps. 22. v. 4.* x. *Psalm. 44. vers. 8.*

mur, non ideò miseri sumus censendi. Hæc verbera indicium amoris, hæc vulnera principium sanitatis sunt. Olla verò illa succensa, non directionis aut solatij, sed perditionis, sed exitij, sed desperationis est. Hanc ita metuamus, vt eam caueamus. Maturè iam discendum, quâ ratione tam temeritas seu Præsumptio, quàm diffidentia & desperatio declinanda.

Deus velut gigas ingentia duo brachia diducit, Iustitiam & Misericordiam: vtrumque porrigit volenti. Qui solam apprehendit Misericordiam, Temeritati ac præsumptioni se exponit; qui solam complectitur Iustitiam, in diffidentiam pronus ac desperationem abit. Certè Deus grandia statuit Iustitiæ suæ documenta in hoc alteroque Orbe, qui hæc sola considerat, è facili desperat: qui sola cogitat Misericordiæ inuitamenta, plus æquo sperat. Medium tenuêre beati. Inter Misericordiam & Iustitiam medius tutissimus ibis. Hoc omnes sacræ paginæ proclamant: *Vniuersæ viæ Domini Misericordia & Veritas*, y. Hoc

y. *Psal.24. Vers.10.*

Hoc geminum Dei brachium assiduè contemplatus Dauid: *Misericordiam*, inquit, *& iudicium cantabo tibi* Domino, z. Ita prorsus, ita duos inter parietes istos iustitiam & Misericordiam transeundū: sic nimiam spem, sic & desperationem euitabimus. Vtrumque vitiosum, & nihil, & nimium sperare. Vtrumque tamē, dum vita est, medicinam patitur. Auernalis desperatio immedicabilis est & æterna.

z. *Psal.*100. *vers.*1

Caput X.

Æternitas.

Piorum iuge suspirium.

SOlymæus rex Salomon, idemque sacer scriptor Ecclesiastes, variè quamuis tectè, Æternitatis inexplicabilem circulum describens: *Generatio*, inquit, *præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum stat. Oritur sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur. Lustrans vniuersa pergit*

pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, a. Ita prorſus in Auernalem Æternitatem omnia pœnarum ac ſuppliciorũ genera perinde vt flumina corriuantur, ipſa tamen Æternitas, velut immenſiſſimus Oceanus, ſibi ſemper ſimillima, non extenſior, ſed nec contractior fit, immutabilis ſemper & infinita.

Vbi in hac ſæculorum voragine centena ſæcula *b*. fuerint abſorpta, alia centena abſorbebũtur; his pariter abſorptis, alia atque alia, iterumque alia centena ſæcula, in eandem voraginem deſcendent, idq; ſine vllo ſæculorum termino. Nam vbi grex damnatorum tot ſæculis gehennam habitauerit, vt ab omni retro æternitate in flammis ſe fuiſſe arbitretur, nihil tamen Æternitatis, nec punctulum quidem præterijſſe dicendum eſt. Æternitas poſt tot ſæculorũ tractus, nec quadrante quidem vnico decreuit; tota ſemper ſimul eſt. Poſt euoluta millies millena ſæcula, Æternitatis circulus æque amplus

a. *Eccleſ. Cap. 1. Verſ. 4. 5. & 7.* b. *Seu mille anni.*

plus adhuc & totus, æquè inextricabilis est.

Hoc nonum atque summum, hoc ineffabile, hoc incomprehensibile in Dei carcere supplicium est. Et quandoquidē æternitas viuorum etiam cogitationibus interest, eam triplici hoc discrimine assignamus. Æternitas piorum iuge suspirium: Æternitas impiorum formidabile somnium: Æternitas damnatorum immortale supplicium est.

De triplici hac differentia differendum. Et de primo quidem eius membro, scilicet Æternitatem piorum iuge suspirium esse, hoc caput decimum loquetur.

§. 1.

Diuina è cælo sponsa humanitatem sui sponsi commēdans: *Læua eius*, inquit, *sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*, c. Mysterium hîc tegitur, quod euoluendum. In læuâ sponsi honores, opes, rerumque abundantia; in dextrâ verò longitudo dierū, seu, Æternitas est, *d.*

Hîc

c. Cant. c. 2. v. 6. d. Ita hoc explicat Paulus de Palatio.

Hîc ſponſa velut prudenter, & ſponte cæca: Lęuam, inquit, non video, nam capite eam premo; ita res fluxas, & quicquid honorum ac opum eſt, non curo. Dextram, quâ me complexurus, aſpicio, ſed nondum attingo: Quicquid mihi oculorum domi eſt, in æternitate defixum habeo, æterna curo. Quia verò beatorũ æternitatem nondum obtinui, hoc mihi nihilominus promitto: *Amplexabitur me.* Æternitas dilata cruciat. Nam, Salomone teſte, *ſpes quæ differtur, affligit animam*, e. Æternitas piorum iuge ſuſpirium.

Bonifacius Romanus ciuis, aliquanto tempore cum Aglae matrona nobili cõſueuerat. Eius rei Bonifacium adeò pœnituit, vt hoc vnum agere cœperit, maculam iſtam eluere, quacunque vel arduâ virtute. Hinc fortunarum & capitis etiam periculum neglexit, ad martyrum carceres reuiſit, catenas oſculatus, vinctos ad conſtantiam exhortatus, extremo ſupplicio affectos ſepeliuit. His ſtudijs intentus, Tarſum peregrinatus eſt, quo

e. *Prou. cap. 13. verſ. 12.*

quo loco idem obsequij Christianis athletis præstitit. Assidua ipsius adhortatio erat: Supplicia constanter ferrent; Breuẽ esse laborem, præmium fore sempiternũ. His ille vocibus, & alios & seipsum, ad mortem animosè subeundam mirificè accendit. In his pietatis officijs comprehensus, & ferreis vngulis laceratus est; acuti è ferro calami carnẽ inter & vngues infixi, liquatum plumbũ in os infusum. In his ille tormentis constantissimè durare, breuem laborem, præmium sempiternum verè credere, suam sibi exhortationem occinere, illudque sæpius ingeminare: *Gratias tibi ago, Domine* Iesv; & ita glorioſissimè finijt. Æternitas piorum iuge suspirium.

§. 2.

Franciscus Assisias, æui sui gemma, ex oculis laborare cœperat ob iuges lacrimas. Cumque ei à pluribus suaderetur, à fletu tam crebro abstineret; aiunt ille suspirans dixit: Ob amorem luminis, quod nobis commune cũ muscis, æternæ lucis radios nequaquam excludẽdos censeo. Idem interrogatus, qui sæuitiem hiemis

hiemis amictu tam tenui arceret! Si flammâ, inquit, æternæ patriæ calesceremus, facilè nos ab hoc frigore tueremur. Frācisco vita hæc in patientia, æternitas in desiderio fuit.

Dominus IESVS, vt doceret suos, æternitatem iugi suspirio desiderandam esse: *Nolite*, inquit, *timere eos qui occidunt corpus*, s. Occultum sed artificiosissimum argumentum: Hanc ob caussam, ait, nō timete, quia occidunt. Si quem in igne similiue supplicio detinere possent non occidendo, iure timerentur. At iam quò plus torquent, hoc citius extorquēt animam; vbi grauior cruciatus, ibi celerior finis. Non est ergo quòd illos metuatis, qui corpus iugulare nō nisi semel possunt, quod sæpe plagâ fit vnicâ. Eum metuite qui plagas etiam letales iterat assiduè, & semper occidendo nunquam occidit.

En antitheses diuinissimi oratoris è cælo: Mortis breuissimæ metus, mortis æternæ metu superandus est. Vult ergo Dominus probè intelligi animos hominum

s. *Matth. c. 10. vers. 28.*

num esse immortales, solius Dei arbitrio subiectos; corpora verò in vitam reuocanda ad præmium, vel supplicium æternum.

En quàm artificiosa verborum breuitate Christus maxima complexus sit mysteria, immortalitatem animi, reditū à morte ad vitam, tam præmiorum quā suppliciorum æternitatem. Æternitas piorum iuge suspirium.

Thomas Morus vir vndequaque exactissimus in vinculis erat ipsi minimè ignominiosis, sed quę sanctitatem ipsius testarentur Orbi. Huius viri vxor in carcerem penetrauit flectendo marito. Sed frustra. Duplicem illa masculo pectori arietem admouit; precibus & lacrimis suam perorauit caussam, illudque vnicè ac per tori fidē rogitauit maritum, Vellet diutius viuere. Ecquid ego, aiebat, quid liberi, quid cognati, quid familia omnis adeò peccauimus, vt te, marite mi, tam citò perdamus? Nostrum omnium vita tuo stat capite. Ego quidem centies mori malim, quàm extincto te supereſſe. Quapropter, mi More, assentire

tire regio decreto, *g.* & annos plurimos tuæ noſtrumque omnium vitæ adieciſti. An adeò exoſam habes hanc lucis vſurã, vt obſtinatè pertendas mori ! Veniet Mors ſui non ignara temporis : quid illã vltro accerſimus, velut noſtri oblitam? Vt plurimis tuorum parcas, parce tibi, & quod optimũ ætatis tuæ erit, ne ſperne. Nil ambigo; complures tibi annos optimus Deus indulgebit, modò tu ipſe tibi non inuideas vitam.

Audijt hæc Morus patienti ſilentio. Ac vbi finijt coniunx: Et quot ergo annis, inquit, me ſuperſtitem futurum cenſes, ô mea Aloyſia? Cui illa promptè: O mi optime marite, ait, ipſis facilè viginti annis & ampliùs. Ad quæ ſubiungens Morus: Hoc igitur agis, inquit, vt æternitatem totam viceſnis annis commutem: næ tu ſcrutaria fores imperitiſſima, nobiliſſimas merces triobolo venditura, *h.* Si viginti annorum millia dixiſſes, videri poſſes non imprudenter furere. Sed hæc ipſa viginti vel triginta millia

I anno-

g. *Sed iniquo.* h. Würdeſt ein böſe Kramerin abgeben.

annorum, quid oro sunt ad æternitatem? Punctulum, fumus, vmbra, momentum, nihilum. Hanc ob causam ego vincula, & omnes vitæ calamitates lætus perpetiar, quamdiu Deo visum, modò mihi saluum sit Æternitatis præmium. Illius iacturam vel minimam feciſſe, est, omnia perdidiſſe. Dixit, & verba generosa morte firmauit, *i.*

i. *Hoc repetendum videbatur, quod in prima Æternitatis editione omiſſum. In aliis editionibus mentio huius fit Conſid. 7. § 2. De Thoma Moro Sanderus l. 1. Schiſm. Anglic. & Stapleton. in vita Mori c. 16.*

§. 3.

Ioannes Godefridus, inter præsules sidus clariſſimum, Herbipolensis Pontifex tantò maioris, quàtò tectioris sanctitatis: Hic, inquam, antiſtes dictum iecit auro & cedro exarandum: *Omni momento*, aiebat, *ad oſtiũ æternitatis ſto.* Hinc in omni ædium suarum cõclaui cranea, caluas, mortuorum ossa tum picta, tum argillâ, vel ligno ficta disponi iussit, ne æternitatis vnquam obliuiſceretur. In eius exequijs

quijs latina funebris oratio, plurima in eo iure merito commendauit, illud ſingulariter: Adeò illum æternitatis perpetuò cogitandæ ſtudioſum fuiſſe, vt libellum de Æternitate non obiter, ſed preſſo veſtigio ter perlegerit. Hîc feruere opus neceſſe eſt, vbi tam recens ſemper æternitatis calet memoria. Hic optimorum ſemper quorumcunque animus erat, æternitatem dies & noctes ſecretâ æſtimatione penſare.

Non omittendum hîc illud, quod certâ fide conſtat. Vir religioſus & ſacerdos, omni litteraturâ excultiſſimus, tam ardente ſtudio ferebatur æternitatis in animum quàm altiſſimè demittendæ, vt libellum de Æternitate ſepties eum curâ euoluerit; ſæpius id facturus, ni eũ Mors maturior ad æternitatem citaſſet, *k*.

Pachomius ſuos prolixè exhortatus, hunc demum epilogum attexens: Ante omnia, inquit, præ oculis habeamus vltimum diem, & momentis ſingulis æ-

k. *P. Hermannus Hugo, qui Pia deſideria, & Bredanam Obſidionem, &c. ſcripſit; demum in caſtris mortuus.*

ternorum dolorum ſupplicia formidemus.

Norat profectò vir iſte ſanctus, quo aditu quærenda virtus. Æternitas piorum iuge, ſed & triſte nonnunquam ſuſpirium. Cùm enim duplex nobis immineat, beata & luctuoſa æternitas, nec vllo chirographo certi beatitudinis ſimus, non mirum formidinis aliquid & horroris tunc magis ſentiri ab ijs, qui iam viciniores eunt æternitati. Deinde, licet ſpe ſimus maximâ cæleſtis æternitatis obtinendæ, quia tamẽ hanc necdum obtinemus, hoc ipſo non ſine dolore ſuſpiramus. Tanti boni dilatio gemitus excit & lacrimas.

Herminigildus *I.* rex (cuius ſuprà mentionem fecimus) Leuigildi Viſigothorum regis filius, Arriano dogmate repudiato ad Catholica myſteria ſe vertit, animoque tulit æquiſſimo ſui parẽtis iniurias, qui necem filio minabatur, niſi denuò Catholica ſacra deſereret. Cui filius generoſiſſimè: Poteris, aiebat, in me ſtatuere, Pater, quod lubet. Regno priuas?

1. *Alij, Ermigildus.*

priuas? Sed perituro tantùm: immortale illud eripere non potes. In vincula me rapis? At cælum certè patet; ibimus illuc, ibimus. Vitam eripis? Reſtat melior & æterna. Vox rege digniſſima. Non eſt diſpendium ſed lucrum, æternis bona caduca commutare. Æternitas piorum iuge ſuſpirium.

§. 4.

Dixerat olim Iezonias Ezechieli: *Fili hominis, hi ſunt viri, qui cogitant iniquitatẽ, & tractant conſilium peſſimum in vrbe iſta, dicentes: Nonne dudum ædificatæ ſunt domus? hæc eſt lebes, nos autem carnes. Idcirco vaticinare fili hominis*, m. Putabant homines ſcelerati, ſe in ciuitate ſuâ, ſuiſq; delitijs, perinde vt carnes eſſe in lebete, à nullo facilè extrahendas. Bene nobis eſt, aiebant, vrbs noſtra & domus noſtræ defendunt nos; tuti ſumus: nihil in nos hoſtes poterunt. His ipſis rigidè vaticinatus, & vices Numinis functus Ezechiel: *Eijciam vos*, inquit, *de medio lebetis, daboq; vos in manus hoſtium, & faciam in vobis iudicia. Gladio cadetis*, n.

m. *Ezech. c. 11. v. 2. & 3.* n. *Ibid. v. 9. & 10.*

Sic & illis prorsus euenit, quibus mortalis hæc vita tantopere sapit. Carnes se putant esse in lebete; bene illis est, vestitum mollem, opiparam mensam, crebras voluptates pro cælo numerant; Æternitatem quam non cogitant, eam nec etiam desiderant, lebete suo contenti. Sinamus hos furere. Breui aliter erit. Eijcientur, gladio cadent, in lebetes alios abripientur, lixandi & assandi æternum. Interea temporis, dum hilare momentũ carpunt impij, bonæ mentis homines sursum enituntur, velut adeps in ollâ bulliẽte summum petit, carnibus in imo residentibus. Hanc optimam pinguedinem Mundus velut sedulus, sed stultus cocus, ollâ eijcit perinde vt spumam; tãquam purgamenta huius Mundi o. fiũt optimi quique. Sed hæc pati iucundum illis est: prædulci Æternitatis beatissimæ amore iam inescati sunt. Æternitas piorum iuge sũspirium.

Ex Israelis populo nonnulli magnis desiderijs æstuabant terræ fertilioris cõtingendæ. Sordere illis cœperat eremus tot

o. 1. Cor. c. 4. v. 13.

tot annis habitata. Maximè verò eàm vberrimæ regionis delitias, ficus dulciſſimas, mala granata optima, & ingentis vuæ molem ſuis ipſi oculis ſpectarent, potiundæ terræ cupiditate accenſi: *Quid facimus*, aiunt, *aſcendamus & poſſideamus Terram, quoniam poterimus obtinere eam*, p.

Hæ piorum quotidianæ voces ſunt: Quid hîc agimus inter funera, quid fluxarum rerum momentis carptim paſcimur? Aſcendamus & poſſideamus Terram fertilitatis æternæ. Auguſtinus hac ipſa cupiditate flagrans, librum tertium, quem de libero arbitrio conſcripſit, in hæc verba finijt: q. Tãta eſt pulchritudo iuſtitiæ, tanta iucunditas lucis æternæ, vt etiamſi non liceret ampliùs in eâ manere, quàm vnius diei mora, propter hoc ſolum innumerabiles anni huius vitæ, pleni delitijs & circumfluentia temporalium bonorum rectè meritoq; contemnerentur. Nõ enim falſo aut prauo affe-

p. *Num. cap.* 13. *verſ* 31. q. *Aug. tom.* 1. *l.* 3. *de lib. arb. c.* 25. *& vlt.*

ctu dictum est: *Quoniam melior est dies vnus in atrijs tuis super millia*, 1. Æternitas piorum iuge suspirium.

1. *Psal.* 83. *vers.* 11.

§. 5.

Augustus Imperator, Orbis monarcha noctes subinde traxit insomnes. Ærarium habebat opulentum. Orbem tributarium, Prouincias paratas, domi forisque pleraque omnia secunda & prospera. Nihilominus sensit deesse aliquid; quidnam deesset, explicatè non sciuit. Optimus quisque Christiani sanguinis, quid sibi desit, distinctissimè nouit, & hoc est quod ingemiscit, hoc ei quandoque somnum auertit: Omnia licet possideat, nihil se habere putat, dum beatissimam æternitatem non possidet. Quæcũque cetera in vili habet, modò æternitatis in cælo compos fiat. Hoc votis & studijs omnibus, hoc animo cupit. Æternitas piorum suspirium.

Quid obsecro sensus fuerit vati Hebræo Ionæ, cùm viuus in immani ceto, velut in ambulante ac volubili carcere lati-

latitaret ? Momentis pænè ſingulis ſibi ipſe videbatur mori. Imò prius ſepultus quàm mortuus, eundem piſcem, & carcerem, & carnificem ſuum expertus eſt. Nauigio viuo incluſus, millies naufragatus eſt. Hinc è ventre ceti velut ab inferis exclamans: *Et proieciſti me*, inquit, *profundum in corde maris, & flumen circumdedit me; omnes gurgites tui, & fluctus tui ſuper me tranſierunt. Circumdederunt me aquæ vſque ad animam; abyſſus vallauit me, pelagus operuit caput meum. Ad extrema montium deſcendi, terræ vectes concluſerunt me in æternum*, ſ.

Quàm ardens huius viri deſiderium fuit, ex hoc ergaſtulo euadendi ? Hoc vnum vtique verſabat animo: Modò extra hanc belluam ſim, modò in ſicco littore ſtem, modò, ah modo ex hoc volatili ſepulchro in auras liceat emergere: *Quæcunque voui, reddam pro ſalute* DOMINO, t.

Non aliter æternitatem anhelant pij. Dum viuunt, cum fluctibus luctantur. Idcircò hoc vnum efflictim deſiderant,

ſ. *Iona c. 2. v. 3. & ſeqq.* t. *Ibid. v. 10.*

ctu dictum est: *Quoniam melior est dies vnus in atrijs tuis super millia*, r. Æternitas piorum iuge suspirium.

r. *Psal.* 83. *vers.* 11.

§. 5.

Augustus Imperator, Orbis monarcha noctes subinde traxit insomnes. Ærarium habebat opulentum. Orbem tributarium, Prouincias paratas, domi forisque pleraque omnia secunda & prospera. Nihilominus sensit deesse aliquid; quidnam deesset, explicatè non sciuit. Optimus quisque Christiani sanguinis, quid sibi desit, distinctissimè nouit, & hoc est quod ingemiscit, hoc ei quandóque somnum auertit. Omnia licet possideat, nihil se habere putat, dum beatissimam æternitatem non possidet. Quæcúque cetera in vili habet, modò æternitatis in cælo compos fiat. Hoc votis & studijs omnibus, hoc animo cupit. Æternitas piorum suspirium.

Quid obsecro sensus fuerit vati Hebræo Ionæ, cùm viuus in immani ceto, velut in ambulante ac volubili carcere lati-

latitaret? Momentis pænè singulis sibi ipse videbatur mori. Imò prius sepultus quàm mortuus, eundem piscem, & carcerem, & carnificem suum expertus est. Nauigio viuo incluſus, millies naufragatus est. Hinc è ventre ceti velut ab inferis exclamans: *Et proiecisti me*, inquit, *profundum in corde maris, & flumen circumdedit me; omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt. Circumdederunt me aquæ vsque ad animam; abyssus vallauit me, pelagus operuit caput meum. Ad extrema montium descendi, terræ vectes concluserunt me in æternum*, &c.

Quàm ardens huius viri desiderium fuit, ex hoc ergastulo euadendi? Hoc vnum vtique versabat animo: Modò extra hanc belluam sim, modò in sicco littore stem, modò, ah modo ex hoc volatili sepulchro in auras liceat emergere: *Quæcunque vouì, reddam pro salute* DOMINE, &c.

Non aliter æternitatem anhelant pij. Dum viuunt, cum fluctibus luctantur. Idcircò hoc vnum efflictim desiderant,

f. Iona c. 2. v. 3. & seqq. t. Ibid. v. 10.

esse in portu. Æternitas piorum iuge suspirium.

Catholici ritus est, diebus pœnitentiæ dictis, *u.* Hebraam vocem gaudij nuntiam *Alleluia*, sacris cantionibus non miscere, testando luctu, eius loco audire est voculas illas, *In æternum, in æternum.* Hinc cantandi morem obsecro discamus, & illud nobis ipsi assidue occinamus: *in æternum, in æternum, in æternum.* Tunc autem maximè hæc cantio iteranda, cùm carni lasciuire lubuerit, & viam ingredi latam ac voluptuariam. Hîc carmé illud maximarum virium identidem ingeminandum: *In æternum, in æternum, in æternum* ardebunt impij, in æternum gaudebunt Numinis amici. Et vti nullus gaudiorum, sic nullus suppliciorum finis erit.

Augustinus occasione natâ: Hæc ego, inquit, mihi ipse canto quotidie, *x.* Imitemur; & pro se quisque dicat: Hæc ego mihi ipse canto assidue. Non incendium Troiæ, sed Gehennæ; gyros æternitatis

u. In der Fasten schweigts Alleluia.
x. *Augustom. 2. epist. 64.*

tatis inextricabiles, infinitos contemplatione quotidianâ expendo. Hæc cantemus, Christiani, hæc cogitemus. Post triſte Cineralium tempus, lætiſſimum ſequetur Paſcha. Suauiores modulos cæleſtis Hieruſalem ſuggeret; per vicos eius cantabitur *Halleluia*, y.

y *Tob. c. 13. verſ. 22.*

CAPVT XI.

ÆTERNITAS.

Sceleratorum formidabile ſomnium.

PRiſcæ ſapientiæ antiſtes Bion dicere ſolebat: Viam ad inferos planiſſimam profectò, facillimam & tritiſſimam; ac prorſus inoffenſam eſſe neceſſe eſt, cùm illuc plerique omnes clauſis eant oculis. Ipſiſſimam veritatem, mi Bion, & oracula loqueris; ſic eſt omnino. Facilis deſcenſus Auerni facillimus; itur eò ac curritur, clauſis & compreſſis oculis. Imò ſunt qui dormientes ac ſomniantes

niantes ambulent, ab hac tamen via non aberrent: *Euertunt sensum suum, & declinant oculos suos, vt non videant cælum*, a. Hi sanè dum iter faciunt dormiendo, æternitatē subindè cogitant, sed somniando. Atqui formidabile somnium est. Idcircò illi hoc excutere conantur: Perinde vt ij faciunt, quibus mœsta species per somnum oblata est, eam proximæ diei hilaritate moliuntur expellere, mœstumque somnium symposio læto digerunt. Non aliter impij, è quibus sunt, qui dicant: Vbi hæc viderimus, credemus. Ita cæci eunt, vix vnquam sibi vigilant; Æternitatem rarò, nec nisi obiter cogitant, aut potiùs somniant, atque sic in Orbem alterum migrant. Æternitas impiorum formidabile somnium. Quod iã explicatius trademus.

a. *Daniel. c. 13. vers. 9.*

§. 1.

Æternitatem aliquibus somnium esse diximus, sed terrificum. Quis enim adeò in saxum obriguit, vt ei Æternitas vel per quietem visa terrorem non incutiat? At verò quia hæc talia vt somnium habent,

bent, idcirco ea non capiunt, non æstimant, cum animo suo non voluunt, non suis hæc momentis ponderant. Hinc ista obliuione celeri sepeliunt. Hos Siracides notans: *Somnia*, inquit, *malè facientium vanitas est*, b.

Die quo Christus cruci fixus in vitam redijt, piæ aliquot matronæ, ad Domini conditorium exierunt, mortuum vncturæ: at vbi eum candidati cælites viuere aiebant, regressæ à conditorio, omnia quę vidissent & audissent, vt lætum nuntium ad Apostolos perferent. *Et visa sunt*, inquit Lucas, *ante illos sicut deliramẽtum verba ista, & non crediderunt illis*, c.

Hic simillimum fit. Nunquid enim æternitas & crebrò satis, & apertè satis, satisque distinctè concionibus, picturis, exhortationibus, colloquijs, libris, & auribus & oculis ingeritur? Sed quo effectu? Videntur hæc ante multos sicut deliramentum, aut somnium. Timent aliquantulum, sed cum somnio desinit & timor.

b. *Eccli. Cap. 34. Vers. 5.* c. *Luc. Cap. 24. Vers. 11.*

Vates Hebræus Ionas, diuina iussa fugitans, commisit se mari. Ortâ tempestate horribili, nautæ de vicino periculo trepidi deum suum inuocarunt, & alleuando nauigio, quicquid vexerunt oneris, exturbarunt in mare. At Ionas ad ima nauis descendit, & periculorum securus, *dormiebat sopore graui.* Hîc gubernator hominem accedēs, & è somno expergefaciens: *Quid tu*, inquit, *sopore deprimeris? Surge, inuoca Deum tuum, si fortè recogitet de nobis, & non pereamus*, d. Mox inito consilio sors ducta, & Ionas sortitò eiectus est in vndas, salutis ceteris, qui sua eiecerant in mare.

Dum viuimus in naui vulneratâ, & rimosâ, in mari turbido, & furioso degimus, tam autem vicini sumus Æternitati, quàm nauigantes mari: tribus à morte digitis distamus; sæpe non totidem; vno fit halitu quod tota non eluat æternitas. Periculi monemur sæpius. Est non nemo qui dicat: Quid tu sopore deprimeris, surge, inuoca Deum. Cui salus cordi est, somnum excutit, loco consurgit, nocitura

d. *Iona cap. 1. vers. 5. & 6.*

tura onera in mare deijcit: hoc aio, hic talis in precationes sese effundit, ieiunijs frangit, stipem largam tribuit, omnia paratus dare, vt peccati pœnas seriò luat.

Quàm verò aliorum multi diuinæ voluntatis ac Dei fugientes, dormiunt sopore graui, nec audiunt tempestatis minas; Æternitas eis somnium est, & fabula. O somnum periculosum! dum enim surdis hæc auribus transmittunt, sors mortis in eorum caput trahitur, & illi semisomnes in Æternitatis mare subitò excutiuntur.

§. 2.

Narrant fuisse hominem stirpe ac sanguine, non item moribus nobilem. Erat is ad Mũdi leges examussim factus, & quod inter vitia eminebat, egenis rigidus. Hic vna cum famulo ad quietem ijt in vtramque aurem dormiturus. Medio noctis per quietem famulo hæc species obijcitur. Herus ad tribunal Dei rapitur, accusatur, condemnatur. Inde à cacodæmonum globo, non sine triumphi specie in flammeos gurgites abducitur.

tur. Varia sed luctuosa hic ludibria repræsentantur. Lucifer nouum hospitem salutans: Solitus est, inquit, hic amicus noster delectari thermis, & inde lecto quam mollissimo foueri: consueuit spumantes pateras modis musicis ac symphoniâ exhilarare: igitur vt hæc omnia ad nutum sint, curate. Hîc miser vociferari, & diem natalem suum, superos omnes, Deumq; ipsum execrationibus detestissimis deuouere. Dum ciulat infelix, in paratum ignis puteum præcipitatur fragore ingenti. Hîc euigilans famulus surgit, venit ad herum, sed iam mortuū inuenit, &c.

Eheu! sors moriendi ducitur occultissimè; vę miseris, quos subito designarit dormientes. Ibunt hi in domum æternitatis suæ, non redituri ad epulas & delitias suas. Deus indignationis plenus seuerissimè minatur: *Inebriabo eos vt sopiantur, & dormiant somnum sempiternum, & non consurgant*, l. Satis vbique exemplorum est.

Rex

a. *Meffret. serm. 3. in Dom. 2. post Epph. f. Hieron. c. 51. v. 39.*

Rex Chaldæus Balsasar epulum regale accumbens, dextram in pariete scribentem vidit & exhorruit, quamuis scripturam non intellexerit. Danielem peritissimum eius interpretem purpura & torque donauit, eique tertios à se honores decreuit. Pœnitentiæ tamen nulla prorsus mentio. Sed eadem nocte rex Balsasar interfectus est.

Hæc omnium fors est, quibus Æternitas somnium est. Hi tamque licet infinita cogitent, cogitationem tamen seriam in Æternitatem nunquam dirigunt; licenter & impiè viuunt. His sæpius, quemadmodum Balsasari regi, pauorum verbulorum scriptio monstratur talis: *Momentum vita est, sed pendet ab hoc momento æternitas.* Terrentur hic quidem, nonnihil trepidant, horrent æternis ignibus cremari, obstupescunt post mille milliones annorum Æternitatem nec minimo quidam minuendam: veritatem hanc laudant, sed non sequuntur: mysteria hæc venerantur, sed mores non emendant; mysteriorum interpretes & audiunt & colunt, sed pœnitentiam non agunt,

agunt, aut nimis instabilem: Hæc credimus, aiunt, sed à consuetis vitijs non abeunt. Post terrorem non longum ad suos calices, ad Veneres suas, ad numos suos, ad liuorem & simultates suas redeunt tã vitiosi quàm anteà, subinde vitiosiores quàm anteà.

His pariter, quod regi Daniel dixit, in os obijciendum: Tu quoque Balsasar, non humiliasti cor tuum, cùm scires hęc omnia. Tu quoque, Christiane, auaritiam & iniustitiam tuam non emendasti, cùm scires hæc omnia. Tu quoque maledicam & mordacem linguam tuam, amarulentam & crudelem inuidentiam tuam non correxisti, cùm scires hæc omnia. Tu quoque tuas libidines freno non coercuisti, lasciuiam & has sordes non fugisti, cùm scires hæc omnia. Tu quoq; comessationes & potationes tuas non omisisti, cùm scires hæc omnia. Tu quoque ludendi, & tu iurandi consuetudinem non cauisti, cùm sciretis hęc omnia. Æternitas vobis perfunctorie cogitata, formidabile visum est esse somnium; Æternitatem nunquam toto cogitastis pectore,

ctore, nunc è viuorum numero repente in immensum Æternitatis mare præcipitamini. Hæc præuidere potuissetis, imò debuissetis, si Christianum nomen tueri voluissetis. Suâ culpâ perit, qui exitium vel monitus non cauet.

§. 3.

Saul Israelis populo grauem incussit metum. Nam, quod Regum fasti testantur, *Insiluit spiritus Domini in Saul, & iratus est furor eius nimis, & assumens vtrumque bouem concidit in frusta, misitq; in omnes terminos Israel per manus nuntiorum dicens: Quicunque non exierit, & secutus fuerit Saul & Samuel, sic fiet bobus eius.* Cunctabãtur quidem Hebræi ciues militiæ se dare: Sed audito tali nuntio, *Inuasit timor Domini populum, & egressi sunt quasi vir vnus, trecenta & triginta millia virorum,* g.

Cæli terræque dictator Christus, & Saule lõgè maior rem seriâ comminatione proclamans: *Timete*, inquit, *eũ qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete,* h.

Non

g. 1. Reg. Cap. 11. Vers. 6. & 7. h. Luc. Cap. 12. Vers. 5.

Non boues, sed homines minatur in ignem rapiendos. Sed quid plurimis hæ minæ sunt? Somnium. Diuinas leges nihilominus audacissimè perfringunt.

Vos ipsi dicite: Quanta viatoris illius temeritas est, qui fessus de viâ parietem videt, sed fatiscentem & rimas agentem, iam iamque ruiturum, sed quia fatigatus & somnolentus, accelinat se dormiturus securè. Mox adest qui hominem suimet negligentem excitans: Heus tu, ait, quid hîc agis temerarie? Surge properè, quàm primum, & in tutum te recipe. Hîc paries ruinam meditatur in singula momenta, & tu hîc dormire audes? Actutum abi. Quid si viator illinc abire nolit, dicatque monitori: Ne mihi molestus sis; tu tua age, ego somnum quem cœpi, pertexam. Ergo pereat, perire qui vult. Hîc in tumulum, ruinam muri elegit: Habeat ergo sepulchrum quod ambijt.

Vita hominum paries sanè ruinosus est; quo die, quâ horâ, qua parte horæ collapsurus sit, à nemine sciri potest; incertis-

certissimum est: etsi certum sit diu stare non posse tam malè materiatum opus. In singulos dies, in horas, & in horæ partes singulas ruina est expectanda. At nos, audax Iapeti genus, homines prorsus temerarij, huc acclinamus, & securissimè dormimus. Suo quisque sopore torpet. Hunc auaritiæ, illum crapulæ, istum libidinis, alium inuidiæ aut superbiæ somnus deijcit. Rex Hebræus plurimos ita dormientes vidit, & miratus dixit: *Dormierũt somnum suum*, i.

Ita suo quisque indulget somno, graui & arcto. Sed adsunt qui dormientes euigilare iubeant. Clamat Christus, clamant discipuli Christi, clamant prisci Patres, clamãt è cathedra oratores Christiani, omnes vna voce monent, ne parieti fidamus tam ruinoso, iam vitium fociſſe, breui, & subitò ruiturum. Quin imò vitium ac ruinas monstrant, iubentque periculum protinus exire. At sunt quos somnus adeò altus complexus est, vt monitorum nihil audiant. Sunt quos voces tam crebrò iteratæ expergefaciant quidem,

i. *Psal. 75. vers. 6.*

quidem, sed frustra, paullò post iterum in somnum relapsuros. Id illi tales, quod viator, respondent: Sinite, finiamus somnum quem cœpimus: nobis hîc bene est.

Neque tamen monitores desinunt monere, idque tantò contentiùs ac constantiùs, quantò certius gratiusq; periculum imminet. Neque enim de vnius corporis, sed de corporis animique salute agitur æternâ. Æterna mors premit, quos paries iste dormientes opprimit.

At multi nihilominus post plurimorum monita tam frequenter repetita in somnum declinant, parieti iam ferè ruenti fidunt, dormiunt securi, & Æternitatem somniant; terrentur, sed vt somniantes solent, qui terrorem excutiunt cum somnio.

Ita viuimus, ita dormimus, ita somniamus, ita perimus. Subitò namque paries, qui minabatur, ruit, & opprimit sopitos. Mox tota in oculis est Æternitas, non iam breue somnium, sed immortale supplicium. O viatores nimium temerarios! O soporem tam arctum quam exitiosum!

tiosum! Et quæso, num ista nimis quàm certa creditis?

§. 4.

Credibilissimum est, quòd, si damnatorum aliquot ab inferis rediuiui emergerent, qui sic dormientes vellerent, monerent, ruinam proximam prædicerent, eos tamen non expergefacerent. Tanta est humanæ mentis & cæcitas, & socordia. Ideò Abrahamus negat se facturum, quod in flammis purpuratus epulo rogat de mortuorum aliquo ad fratres suos mittendo. Et repulsæ rationem assignans: Si Moysen, inquit, & prophetas nō audiant, si monita viuorum spernant, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent, *k*. Ita prorsus est. Eam ob causam Chrysostomus dixit: Gehenna non videtur incredulis; credentibus est perspicua, *l*.

Cùm de reorum supplicijs mentio inijcitur, quoties audiuntur ista: Hic in exilium pulsus, hic virgis cæsus, ille ad remum datus, ille capite plexus, iste in patibulum sublatus, iste in rotam actus, hic

k. Luc. c. 16. v. 31. l. Chrys. orat. 4. de Lazaro.

hic rogo extinctus. Hæc etiam farinorosi audiunt, neque tamen ad frugẽ se, corrigunt. Multi capitalium reorum, licet eis vitæ hat gratia, *m.* denuò tamen eadem patrant, aut peiora.

Nos tales sumus, modò rei fatentes simus. Quoties enim gehennæ condonationem pœnitentia impetramus, & omnia facturos promittimus: Breui tamen ad ingenium redimus, & deteriores simus licentia. Iracundiæ & inuidiæ valedicimus; auaritiam & superbiam procul à nobis relegamus; furta eiuramus, libidines detestamur, temulentiæ hostes nos profitemur. Paulò post & irascimur, & inuidemus; iterum superbi, auari iterum; nec furtis nec libidinum nequitijs abstinemus; vino ac poculis suauissimè reconciliati, eadem quæ ante & sæpe peiora facimus. Num istud non est Æternitatem somniare, & interim æternis ignibus dignissima patrare?

In Ægyptio Pharaonis carcere duo ex aulico famulitio rei seruabantur, quibus diuersum obtigit somnium, neuter tamen

m. Schencke jhnen das Leben.

tamen illius interpretandi rationem norat. Ideò ad Ioſephum vnà captiuum verſi: Somnium vidimus, aiunt, & non eſt qui interpretetur nobis, *n.* Æternitatis ſomniatores multi, interpretes pauci. Iuuemus & interpretemur.

n. *Gen, cap. 40. verſ. 8.*

§. 5.

In primâ, quam de Æternitate dedimus, ſcriptione, variâ eam imagine ſpectandam propoſuimus. Addimus nunc iſta, non legenda ſolùm, ſed etiam expẽdenda.

Rogus ſit è viuis ac candentibus carbonibus qui magnitudine vrbem hanc Monachium æquet, tribus quatuórue cubitis in terram penetret. In rogum hunc tam amplum homo vnicus inijciatur, hac lege. Non prius illum ex ardenti hoc lecto liberandum, quàm ſingillatim ac particulatim carbones omnes ſubtrahantur: ſingulis autem centenis annis aduolaturum vulturem, qui carbonem vnum, nec plures, auferat.

En, homo iſte è nouemplici Æterni-

tatis, nõ nisi vno ignis supplicio, cruciatur, & tamen intolerabilis hic cruciatus æstimatur, ob diuturnitatem. Nũc ergo pronuntiet Arithmetica, quot millia, quot milliones annorum transituri, dũ homo iste liberetur è rogo tam vasto. Tam inexplicabile hoc videtur, quàm intolerabile.

Sed, ô boni, ô mortales cæci, ad inferos hoc nihil est. Nam homo iste à nouemplici æternitatis supplicio liber, non nisi vnicum ignis tormentum patitur. Accedit spes finis quantumcunque serò venturi.

Sed vt damnatos in tumbis flammeis iacentes attentioribus oculis contemplemur, spectaculum imaginationi hoc effingendum.

Vnus aliquis in profundissimâ subterraneâ cellâ lecto ferreo catenis arctis affixus est; manus, collum, ac pedes annulo chalybeo alligati. Infra lectum hunc prunæ & ignis, sed nec aliud lecti operimentum. Solatium hîc vnicum est istud. Cùm miser iste primum alligaretur (ita ponimus) hoc illi denuntiatum

tiatum est, millesimo quoque anno venturum aliquem, qui è candentium carbonum strue, eâ quidem vice vnicum sit ablaturus. Post mille tamen annos hunc ipsum rediturum, & alterum è carbonibus ab eo auferendum. Atque hac ratione singulis millenis annis aliam atque aliam è prunis tollēdam, dum tandē omnis prunarum congeries auferatur.

Cogitemus, ah, cogitemus quot annorum milliones seu myriades sint transituræ, dū igneus hic lectus sic mînutim ablatus cesset vrere. Sed ô mitissimum hunc infernum ad desperatissimam, & cruciatibus pleniſſimam æternitatem! Durante hac, eiuscemodi flammei lecti decies, vicies, centies, sed & millies, dictà ratione, auferri poterūt, & necdum finis erit vllus Æternitatis nunquam heu nūquam terminandæ.

In rebus gestis diuorum admiranda plurima: Verè enim mirabilis Deus in sanctis suis, o. Ego nil minus mirandum putem quàm quod multis mirissimum videtur. Æternitatem præ ceteris expen-

o. *Psal.67.vers.36.*

disse censendus est ille, de quo Climacus p. narrat, anachoreta. Vixerat is in monte Choreb, sui & arduæ virtutis negligens. In extremis horam iacuit velut iam exanimis. At vbi ad se redijt, omnes quotquot moribundo aderant, rogauit, loco cederent, sibi iam deinceps seriò agendum. Ita tugurij sui ostium, quàm licuit, arctissimè obstruxit, vno solũ foramine, quo panis & hydriola inferretur, relicto. At ille totis duodecim annis cum nemine, nisi cum Deo & angelis locutus, præter panem & aquam parcissimè sumpta gustauit nihil. Hîc ille perdius & pernox velut attonitus sedere, Æternitatis rotam animo assiduè voluere, interminata tam gaudia quàm tormenta pensitare, certissimæ Mortis iaculum nunquam non præuidere, cælum suspicere ac suspirare, inter hæc tacitis sed pænè continuis lacrimis fluere, hoc viuèdi tenore annos duodecim exigere, denique ad extrema denuo deuenire. Quod vbi ceteris innotuit, vi obstructã ianuam emoliti, certatim in moribundi cauum

p. *Climac. gradu 6, de Mortis memoria.*

cruum se infundentes rogarunt, daret abiturus sui monimentum. At ille ingemiscens altum: Date veniam, inquit, meisque erroribus, Patres, gratiam facite: Quisquis Mortem, quæ ad Æternitatem ianua est, mente seriâ considerauerit, non peccabit.

Hunc ego hominem, vt dixi, ex omni sanctorum numero ideò minus admiror, licet vitam egerit prorsus admirandam, quia quicunque cogitationes in Æternitatem intenderit, non multum his absimilia præstabit. Et sanè melius est seipsum, vel centum annis muro includere, & rigoribus extremis corpus exercere, quàm vel minimum Æternitatis beatæ periculum subire. Vnusquisque sibi, quod Lotho, dictum credat ab Angelo: *Salua animam tuam; festina, & saluare,* q.

q: *Gen. cap. 19. vers. 17. & 22.*

Caput XII.

Æternitas.

Damnatorum inexplicabile, ac Nouum supplicium.

PHaraonem regem & incolas Ægypti Deus non simplici solùm flagello castigauit: Cruentos fontes, Ranas, Cimphes, Muscas, Pecorum mortalitatem, Vlcera, Grandinem, Locustas, Tenebras immisit. Graues ictus, & magno brachiorum pondere incussit: at vbi decimus accessit, hic demum fracta est pertinacia, hic plurimorum secutus interitus. Factúm est autem in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terrâ Ægypti, nec erat domus in quâ non iaceret mortuus, *a*.

Cùm grauissimis nouem supplicijs hostes suos afficiat Deus, nũquam addit decimum, quo eos de medio tollat. Nullus finis, mors nulla, nullus interitus. Imò,

a. *Exodi cap. 12. vers. 30.*

Imò, vt Gregorius loquitur, mors sine morte, & finis sine fine, quia & mors vivit, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit, *b.* Quod Ægyptijs maximum fuit suppliciũ, hoc damnatis summum esset solatium, scilicet iugulari, & tandem funditus tolli.

Qualis hæc regio, Deus bone, quæ mortem inter gaudia summa numerat, qualis hæc regio? Iobus eam, Terram miseriæ iure meritò vocat. Verè miseriarum omnium sentina est.

Octo inferorum supplicia percensuimus. Addimus Nonum, omnium multò grauissimum, quod non solùm oratione non explicari, sed nec intelligentiâ comprehendi, nec cum vllo aliorum suppliciorum cõferri potest. Æternitas damnatorum inexplicabile supplicium. Quod quidem nunc verbis non explicare, sed nonnihil adumbrare conabimur.

b. Greg. l. 9. Moral. cap. 49. c. B. Thomas nominat statum omnium malorum aggregatione perfectum.

§. I.

Æternitas damnatorum inexplicabile prorsus supplicium. Fingamus hoc ipsum supplicium quadruplici tantum hac molestia constare: Apicula pungat manum dexteram; læuam sugendo infestet culex; genam in vultu dexteram scarabæus Lucanicus. *d.* pressèt, læuam suppurans spinula peruellat. Hæc solùm apud inferos toleranda sint, non aliud quidquam, aut horum dũtaxat vnicum. Fingamus solam manum ab æstro aut tabano *e.* fodieari, hoc tamen suppliciũ fiet infandum, si fiat æternum, tam etsi alius dolor accedat nullus.

Quid quæso vrens calceus, si omni vitâ perferendus? *f.* Quid, oro doloris ciet vnicus scarabæolus, aut cantaris rubea, *g.* si per auriculas illapsa, cerebrum incipiat scrutari? Dolor quicunque alius vel leuissimus designetur, si vita tota idque assiduè tolerandus sit, grauissima pœna

d Ein Schröter. e. Roßmuck. f. Wann ein der Schuch truckt. g. Brachkäferlin/ oder vnser Frawen Kühlin.

pœna censebitur; si semper perferendus, si æternus sit, torinentum erit infandum.

Quid mihi iam verborum supererit, si nouemplex Æternitatis supplicium cõiunxero? Hic vox, hic sensus omnis deficit. His tamen quomodocunque tandem adumbrandis rem mirissimam recenset beatorum cælitum notus panegyrista, *h*.

Lydvvina Schiedamensis virgo religiosissima, patientiæ omnisque sanctimoniæ speculum, triginta & octo annis morbos pertulit sæuissimos, non minor tamen patientia illius fuit quàm dolor. Ad hanc vt reuiseret, ægrè persuaderi se passus est homo flagitiosus, quem nemo vnquam eo potuit pertrahere, vt apud sacerdotem crimina sua accusaret. Hoc demum ab eo, quamuis ægerrimè impetratum, vt apud Lydvvinam tumbę proximam conscientiæ sue vulnera nonnihil aperiret, & ijs medelam peteret.

Ille, quod eiusmodi pecora solent, id iocum interpretatus, ad ægrotam virginem visit, atque vt promissis staret, sce-

h. *Surius tom. 7. die 14. April.*

lerum suorum ingentem catalogum ridendo percensere orsus est. Illa per omnes cælites rogare hominem, sibi ea narrare omitteret, has tales conscientiæ labes sacerdoti aperiendas, ab alijs eas audiri nefas esse. At ille, prout cœpit, narrationem pertexuit, & longam flagitiorum seriem explicauit, cùm etiam inter sodales de his gloriari nõ ei fuerit insuetum. Lydvvina cùm negare aures non posset historiæ tot sceleribus contextæ, demum quæsijt, an cum eius venia hæc sacerdoti, velut interpres, aperire possit? Cui ille subridens: Veniam do, inquit, modò ego ipse harum virtutum mearũ non cogar esse præco. Lydvvina homini iuuandò prudenter hoc executa, narratas sibi noxas non aliter quàm suas ingenti dolore animi expiauit.

Ille ad ægram reuisens: Puto te, inquit, mea pro me scelera sacerdoti exposuisse, quid iam pœnarum iniungis? Hoc vnum, ait illa, vt nocte vnâ, sed totâ; in tuo lectulo cubes supinus, nec in vllum te latus moueas. Fac hoc & mihi cõmitte cetera. At ille lætùm cachinnans: Nil amplius,

amplius, ait, imperas? hoc tota moles meæ pœnitentiæ? Aures tuas laudo, tam clementes mihi iudices. Si tam facile est vitæ maculas eluere, faciam quod iubes.

Sed vesperi vix in lecto se collocauit, cùm nescio quid molestiæ sentire, graue erat in neutrum se latus vertere, itaque putare, nunquam tam rigidum habuisse lectum, & quia mouere se vetitum, supina hæc quies visa est difficillima. Dum ita cubat, secum ipse cogitans: En, aiebat, sanus sum & incolumis, lectus mollissimus est; modò liberum esset meo me more huc illuc versare. Sed quid hoc curas? dormi tu, dormi, dum clarum manè fenestras intret, dormi securè, & in vtramque aurem.

Non potest. Alia super aliam cogitatio subnascitur. Quid deest, ait ipse sibi, nox vnica sic dormienda est, & fidem tuam liberasti. Verùm, quid si tres plures ue noctes sic dormiẽdum? Mori malim. Mori? Tantam certè molestiam huic rei subesse non credidissem. Prô me miserum, quàm exigua, quàm nulla in me patientia, quem tam leue vincit tædiolum?

diolum? Lydvvina in quantis doloribus, quàm patiens? Quid si asseri sit indormiendum, idque multis hebdomadibus? Quid si colica, vel podagra, vel calculus, aut dolor capitis acerdat, vratque angatque? Hæc ad inferos spectant. Et quo tu spectas? quò tua te ducent scelera; tot tãtaque? sexcentries aut millies capitalia ausus; iam pridem meritus gehennam. Sed quis lectus illic iacẽtium, quod stragulum, quę lodicula? an tãtùm eis libertas adempta, in vtrumque latus sẽ vertendi? quæ illos vestiunt plumæ? an non loco plumarum flammæ sunt? Et quot mensibus, quot annis cruciatus illi durabunt? Æternùm (si fides Euangelio) ita prorsus, eternũ. Ergo sine fine? Reuera sine omni fine. Ergo post centies millies millena millia annorum, non tantum nõ finem hi cruciatus inuenient, sed nec vllam spem finis? Quid ergo agimus, qui cum æternitate ludimus? Imò non ludere hoc est, sed insanire. Agedũ, deinceps alius ero, aut nullus ero.

Dixit & fecit: & ô quantum mutatus ab illo? Ad sacram confessionem

iam

iam paratissimus, cui antea mors visa, seipsum accusare.

§. 4.

Sed hoc ipsum, quæso, & nos cogitatè perpendamus. Verè & in mollissimo lecto iacere, sed semper iacere, & æternũ iacere, supplicium foret inexplicabile. Quid iam omnium apud inferos supplicíorum erit cumulus, ac congeries formidabilissima?

Febriens sic quandoque ardet, vt arbitretur sitis suæ vel dolium fontanæ frigidę non sufficturum. Heu quis damnatorum siti medebitur? Ardebunt & sitient, sed nec omnes Orbis riui, non fontes vniuersi, non omnia flumina, nulla maria illorum ardentissimam sitim extinguent, idcircò etiam nec eis guttula stillabit.

Mi Deus, quã molestus nobis est calor æstiuus, vt lãguemus, vt fatiscimus, vt anhelamus? Vestes abijcimus, lecti operimentum excutimus, huc illuc impatientissimè nos voluimus; vrit lectus, nec quidquam amabilis præbet frigoris. Sed quid hoc, ô Deus, ad sulfureũ Æternitatis

vaporarium, *h.* vbi non solùm refrigerationis nihil est, sed nec fore sperandũ est? Non frigidulus vesper, non gelida nox, non rorans manè ardores illos tẽperat. Vna, sed ignea, sed doloribus plena, sed æterna nox est. Ah, vel pœnæ saltem nos terreant, si nõ inuitant præmia. Æternitas damnatorum inexplicabile supplicium.

Quicquid apud inferos est, tormentum est. Vndequaque vndique in doloribus sunt. Supra damnatos paradisus est, sed æternum clausus. Abyssus infrà, sed nunquam reseranda. Ante ipsos tormentorum omnium æternitas. Ponè ipsos amissæ voluptatis amarissima memoria. Dextra tortores diaboli. Læua pœnarum socij. Intra ipsos angor, vermis, terror, desperatio.

Hæc, Christiani, credimus, & ita vi-uimus? Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est, *i?* Hæc esse credenda nouimus, sed credimus languidissimè. Nostrum *Credere* vix quidquam habet animæ; non viuit.

Perinde

h. Schwitzbad. *i. Is. cap. 53. vers. 1.*

Perinde si cui digito monstrem pictam tabulam, dicamque: Hic est Abrahamus filium immolaturus. Abrahamum dico, vtique non viuum, sed pictum. Talis omnino est fides nostra, non viua, nil ardoris spirans, nō animata, sed picta. Credimus, & non credimus.

Eam ob causſam Æternitatis quotidie meditādæ modum hîc breuibus perstringo.

Pater locuples filias elocarat honestissimè. Hæ persuaserunt seni, vt eas opes viuus liberis nō subtraheret, quas daturus esset post mortem: id vnum sanctè pollicitæ, de alimētis patri à se lautè prospiciendum. Et primo quidem anno liberaliter ab ijs habitus est. Cùm verò præter spem ipsarum diutius viueret, senis pertæsæ, pietatis & pactorum immemores, tenacius ac durius cœperunt patrem tractare. Ille vt imprudentiam suam emendaret astu, capaciorem cistulam sed saxis & arena plenam cubiculo suo inferri clam curauit. Hanc noctu aperuit, & quicquid modicæ pecuniæ reliquū habuit, repetitis identidē iactibus

iactibus diu multumq; numerauit, submissa voce ponens grandem calculum, ita tamē vt à genero facilè audiri posset. Demum obseruauit diuitem arcam. Postero manè filiæ parentem blandius affatæ interrogarunt: quid nocte proxima somnum tamdiu distulisset? Quibus pater. Remotis, inquit, arbitris, thesauri mei calculos subduxi, filiæ: Quæ vestrū melius de me viuo fuerit merita, eo potietur. Hic porro ingens æmulatio, & vtraque omni officiorum genere parentem prosequi cœpit. Eo mortuo, recluſa cista, cum saxis & arena repertus fustis, cui inscriptum:

Quod pietas non potuit, auaritia extorsit, l.

Nos pænè pari sed longè sanctiore consilio cistam replebimus arenâ vel minuto fœmine, vt quod persuadere nequiuerit pietas, possit æternitas. Sic ergo rem aggrediamur: Quisque proximam sibi cistulam, aut armariolum, aut riscū, vel arculam loculatam; aut si etiam aliud ad manus sit, suos loculos, suum pileum, suum

l. *Ioannes Paulus in iocoseriis.*

fium poculum, aut chirothecas suas *m.* papauere, vel lapillis, vel cicere, vel tabaci, alióue semine minuto impleat, & æternitatem meditaturus sic numerare incipiat, vt vnum papaueris, vel alterius seminis granulum vel lapillus, vel pisum vnicum centum aut mille annos valeat.

Ergo vnum granum, mille anni; duo grana, duo millia annorum; decé grana, decem millia annorum; centum grana, centum millia annorum; mille grana, millies mille anni, & sic deinceps. Hoc primum.

Alterum: etiamsi ex armario, ciſtulâ, pileo, patinâ vel vase quocunque alio sic impleto decem aut cẽtum grana subtrahantur, pænè nihil subtractũ videbitur. Intereà certissimum, durante Æternitate tot mille annos transituros, quot papaueris vel ciceris, vel alterius seminis granula in vas illud vel arcam sunt cõgesta. Nil certius. Nam omnis hic numerus suum habet finem, etsi dicto modo hypocaustum, etsi capacissimam domum papaue-

m. *Vas. aut vaseulum quodcunque.*

papauere vel alio semine repleamus, & grana singula mille annos valeant.

Tertium; Vbi Æternitate stante, tot mille anni abierint, quot in grandi arcâ eiuscemodi grana sunt, nihilominus Æternitas adhuc erit integerrima, nullâ sui parte minor; non vel minima pars vlnæ, sic loquar, Æternitati adempta est. Et quamuis arca illa tertiùm, quartũ, quintum, sic euacuetur, vt ad grana singula mille numerentur anni, nihilo tamen secius æternitati nil penitus ademptum est, tam tota & tam longa est, quàm fuit cùm cœpit.

Quartum: Hæc talis cogitatio, si seria sit & attenta, nonnihil anget animum; non propterea tamen excutiẽda illa, sed progrediendum vlterius. Seipsum homo meditabundus hortetur: Age porrò tu; numeremus amplius.

Quintum? Hac tali meditatione sic sensim calefit animꝰ vt exclamet. Quid facimus? terræ quisquilias & crepundia insano amore quærimus, & negligimus æterna. Nimis vetum: annos æternos in mente non habemus.

Sextũm:

Sextum: Ita paullatim erudiendus est intellectus, vt arcana illa capiat per ista quæ oculis subijciuntur. Aristotelis scitū est: intelligentem Oportere phantasmata speculari. Quemadmodum verò scalas vno saltu ascendere non licet, sed gradatim; & sicut in anguſti colli lagenulā non subitā fusione vinum descendit, sic æternitas strictim & obiter cogitata intelligentiæ ac voluntati nō imprimitur. Sensim à minoribus eundum ad maiora: Et sicut pileum, poculum, ciſtam, cantharū, pluteum implemus & inde singulis duobus mille annos educimus, sic etiam totum aliquod conclaue aut hypocauſtum erit replendum, & ex eo pariter instituenda numeratio.

Septimum demum est, seipsum alloqui: Quid obsecro est omnis in Orbe hoc afflictio, ad infinita milia annorum, quibus Æternitas durabit, & non tantùm non finietur, sed nec minimùm imminuetur. Hîc nemo nō fateri cogetur: Etiamsi me vnū omnis Orbis calamitas premeret, quid hoc ad supplicia æterna? Et etiamsi ego vnus omnium voluptatibus

bus fruerer, idque centum annis, quid hoc ad æternitatem beatitudinis? Quid ergo ego insanus ago, quòd non aliter agam? Ergo imposterum saltem sapiam.

Quòd si quem animi corporisve dolor, aut vterque simul cruciet, si morbus in corpore, ægrimonia & luctus in mente hæreat, tunc potissimum pro se quisque sic cogitet: Si hic dolor aut mœror aliquot menses, si annum, si decennium, si quinquaginta, si centum, si quingentos, si mille annos, si decem annorum millia duraret. O Deus, quàm hic dolor aut mœror inexplicabilis foret? Quid verò decem millium annorum? maximus & mœror & dolor est ad acerbissimos Æternitatis cruciatus, vbi nullus finis post decies, centies, millies mille annos, Vbi tota semper permanet Æternitas?

En succinctam Æternitatis meditandæ formulam. Porrò ad alia.

§. 3.

Longè verissimum est, quod non nemo ab Orbe altero redux proclamauit, *n*. Nemo credit, quanta tormentorum

n. De quo infrà.

rum apud inferos sit acerbitas ; Nemo capit quanta sit diuturnitas; Nemo satis perpendit, quàm longa sit Æternitas.

Heu nugis nostris immoramur, & sæpe immorimur; ob lanam caprinam litigamus, Æternitatem ludibūdi, aut somniantes cogitamus. Hinc rara morum, aut pænè nulla emendatio.

Ego, qui hæc scribo, cum illis omnibus, qui Æternitatis tradunt monita, liberè proclamo: *Curauimus Babylonem*, o. Voluerit, noluerit curari, in ipsius erat arbitrio. Via arcta, angusta porta est, & pauci inueniunt eam. Multi quidem vocati, pauci verò electi. Idcircò Hieremias vates contentissimè clamat: Saluet vnusquisque animam suam, p. Si aliter nequeat, seipsum perpetuo claudat carcere, & viuum se sepeliat. Satius est ex ergastulo in cælum migrare, quàm è palatio ad inferos descendere.

Sed

o. *Hier. c. 51. v. 9.* p. *Hier. ibid. v. 45.*

Sunt qui putent ex omni humana gente partem tertiam calo adscribendã, duas alias Orco submittendas, vt scilicet pars Angelorum tertia, calo præcipitata, restituatur. Hæc Deo nota, nobis incerta.

Sed hæc auribus dici, in animum autem infundi non possunt. Nisi quis ipse meditetur ista, & studiosè intueatur, verbis parum proficitur. Hęc prosunt accuratius expensa.

Non ignarum hoc priscæ philosophiæ. Annæus Seneca: Iuuabat, inquit, de animarum æternitate quærere, imò credere: *q.* En, æternitatis arcanum pensiculant, qui luce veritatis carent. Quid Christianis faciendum? Sed idem, quem dixi, Annæus sapientissime pronuntiauit; In malis optimum est, supplicij finis, *r.* Finis malorum omnium remedium.

Est qui lamentetur domum suam incendio haustam. Alius nullum sibi vspiam fautorem aut amicum, nullum esse adiutorem luget. Alius corporis dolores: Ille animi angores queritur. Iste paupertatem suam deplorat. Ille contemni se ac abijci morte grauius putat. Quid, ô viri, hæc lamenta iuuent? In malis optimum est, supplicij finis: finis malorum

q. *Supra eius mentio, Cap.* 1. *r.* *Sen. epist.* 101. *post med.*

lorum omnium remedium. Hoc remedio penitissimè destituta est Æternitas luctuosa. Omnia habet suppliciorũ genera, solum non habet finem. Hinc rectissimè asserimus: Æternitas damnatorum inexplicabile supplicium.

Rem miram optimâ fide venerabilis Beda memorat, æuo suo contigisse. Fuit in prouinciâ Nordan Humbrorum paterfamilias ex asse pius, qui Drithelmus audijt. Hic vehementia morbi ad extrema deductus, sub noctis principiũ mori videbatur. Eâ nocte iacuit in mortuũ. Vbi diluxit, subitò ad se rediens, omnibus attonitis vitam sibi concessam affirmabat, sed longè aliâ ratione quàm prius ducendam. Siquidem ex templo in prolixiores sese preces abiecit, mox facultates suas omnes liberis, coniugi, & egenis assignauit, ipse profanis curis omnibus exutus acerrimè ac seuerissimè seipsum habuit. Et satis austeritas vitæ loquebatur quàm horrenda in Orbe altero vidisset. Nec ea passim omnibus narrabat, sed ijs solùm quibus Æternitatem vnicè cordi esse sciuerat. Inter hos Rex Alfridus

dus fuit vir litteratissimus, qui Drithelmum studiosè ac crebrò audijt de Thermis stygijs narrantem: Pars narrationis explicabat horribiles tenebras, incõparabilem fœtorem, acerbissimos eiulatus ac fletus, ebullientes colubros, insultationes cacodæmonum, flammarum globos, & grandinem sæuissimam, quando scilicet damnati vicissitudine miserabili ex ignibus in glaciem rapiuntur. Hæc talia cum paradisi delitijs exponebat Drithelmus.

Sed ipse narrationis suæ fructum maximè capiebat. Nam in cœnobio secretum mansionis locum, ad fluminis ripam habitauit, vbi hunc sibi vnicum laborem sumpsit, inhærere Deo, votis perambulare cælum, assiduè preces iterare, corpus affligere, Æternitatem continuis gemitibus cogitare. Et vt liqueret omnibus quàm seriò ageret, solebat creberrimè ad carnem macerandam proximum flumen ingredi, ad vmbilicum aut collum vsque in eo tamdiu perstare, dum hieme glacies corpus raderet; egressus inde vestimenta madida non ad solem aut

focum

focum ſiccabat, ſed vexando corpori retinebat, non tam veſtem quàm glaciem indutus. Interuenere aliquoties huic ſpectaculo, qui hominem miſerati quærebant: Qui tãdem fieri poteſt, Drithelme, vt tantam frigoris immanitatem toleres? Quibus ille prompte reſpondit: Frigidiora vidi & acerbiora, *ſ.*

Quiſquis æternitatis ſupplicia ſeriò meditatus fuerit, idem de ſanctorum martyrum tormentis quibuſcunq; pronuntiabit: *Acerbiora vidi.* Iacobus nobilis Perſa ab Iſdegerde rege iuſſus eſt membratim à capite ad calcem ſecari, ſingulis iuncturis & articulis ſeparatim præciſis *t.* Immane tormentum. Sed Æternitatis contemplator dicet: *Acerbiora vidi.* Serapioni omnes membrorum articuli contracti ſunt, *u.* Nicephorus martyr poſt candentes craticulas minutatim cõciſus eſt, *x.* Sed redeunt voces: *Acerbiora vidi.* Ionæ martyri non ſine acerbo ioco præciſi digiti quaſi ſeminandi, cutis

ſ. *Beda l. 5. hiſt. Anglor. c. 13.* t. *Zach. Lippel. 27. Nouembr.* u. *Baron. tom. 2. Ann. 252. n. 5.* x. *Idem Ann. 284. n. 20.*

capitis abstracta, lingua euulsa, ipse in pice bullienti coctus, denique in cochlea membris omnibus contusus & contritus. Socius eius Barachisius spinis flagellatus, & fœdè discerptus, dein ossa omnia conuulsa & fracta, *y. Sed acerbiora vidi.* Saturninus feroci tauro alligatus, fera stimulis agitata, ipse per auia deuia tractus & laceratus, *z.* Horrendum supplicium. *Sed acerbiora vidi.* Martina nobilis virgo, quatuor palis affixa, fustibus & flagris cęsa, vngulis lacerata, bestijs obiecta, demum ad flammas damnata, *a.* Emmeramo Ratisponensi Pontifici post digitos præcisos, oculos effossos, nares ac aures resectas, manus etiam & pedes trucati sunt, dein & lingua præcisa, *b.* Augustodunensi Pontifici Leodegario pariter post famem & carceris squalorem oculi effossi, plantæ pedum laceratæ & auulsæ, labra præcisa, lingua extracta. *Sed acerbiora vidi.* *c.* Alexander Romanus Pontifex creberrimis punctis confossus; Cassianus è Brixiensi Antistite Christi causa Imolensis

y. Lippelo 29. Martij. z. Idem 29. Nouembr. a. 1. Ianuarij. b. 22. Septembr. c. 2. Octobr.

lensis ludimagister stylis & graphijs puerorum confixus est; quorum quantò infirmior manus, tantò grauior martyrij pœna fuit, *d.* Marcus Arethusius præsul lanceolis vndequaque compunctus, melle oblitus, in iunceã sportam impositus, apum, vesparum, culicũ morsibus in lanienam obiectus est, *e.* *Sed acerbiora vidi.* Beatus Maxim⁹ post vngulas, equuleum, fustes toleratos, lapidibus obrutus est, *f.* Antimus martyr subulis candentibus, fractis testis, crepidis ignitis, tensis fidiculis excruciatus est, *g.* Zoe Exuperij martyris coniux post sex dierum inediam in tenebricoso carcere toleratam capillis suspensa, & fumo è stercoribus necata, *h.* Glycerius, postquam cæsus vt extarent ossa, in rogum coniectus est, *i.* Petrus Exorcista Marcellini martyris soci⁹ primò flagellis concisus, in hiantia deinde vulnera acetum sale mixtũ infusum, ita sauciatum corpus lento igni assatum est, *k.* Christina virgo pariter assata, oleo

d. 13. *Augusti.* e. *Baron. Anno* 362. *n.* 34. f. *Idem An.* 254. *n.* 24. g. *Idem An.* 302. *n.* 42. h. *Anno* 286. *n.* 13. i. *Anno* 301. *n.* 18. k. *An.* 302. *n.* 29. & 30.

desuper infuso; serpentes in eam immissi, lingua illi euulsa, demum sagittis confixa finijt, *k.* Maxima & Donatilla, virgis acriter cæsę, dein vulnera viuâ calce exulcerata, ambæ in craticulâ tostæ, & ad bestias damnatæ sunt. Theonillæ insuper caput nonaculâ cum cute abrasum, rubis ac vepribus coronatum, ipsa ad quatuor palos extensa, loris immaniter cæsa, venter illius prunis perfusus est. In his tantis supplicijs expirauit. Horrendi sanè cruciatus, acerba supplicia, *sed acerbiora vidi.* Pantaleon diu vitulatus, deniq; in plumbeum feruens balneum coniectus est, *l.* Paulus & Iuliana frater & soror, equuleum & cataslam, picem bullientem, ferreas candentes & virgas, & sellas, lectulos erectis clauis instratos, acerbū inter serpentes triduum, flammas denique & rogum pro Christo tolerarunt, *m.* Beata Barbara facibus, flagris, ferreis vnguibus diriſſimè laniata, vbera ei amputata, caput malleolis contusum, *n.* Auxentio plantę ferro terebratę, ipse in rota suspē-

sus,

k. Lippelo 24. *Iulij.* *l. Lipp.* 27. *Iulij.* *m. Lipp.* 17. *Augusti.* *n.* 4. *Decembr.*

sus, candentibus subulis dum exhalaret animam, laceratus est, o. Quintinus Romanæ nobilitatis, senatorij ordinis inaudita pertulit supplicia, nam postquã bulienti oleo, pice, adipe perfusus, latera facibus adustus, toto corpore catenulis cęsus, ori eius sinapij calx, & acetum infusum est; (ô qualis potus!) ipse deinde binis ferreis sudibus à ceruice ad vsq; crura transfixus, omnes eius digiti inter vngues & carnem clauis terebrati sunt, p. Hæc nimis atrocia videntur; sed longè atrociora habet Acheron supplicia, & insuper æterna, præ quibus illa ludus & iocus sint: *Acerbiora vidimus.*

Sed nec nostro æuo ingeniosa defuit tyrannis. Alicubi sacrorum hominum ventres aperti ferro; & pabulum porcis aut equis offusum. Nudis etiam ventribus viui glires inecti, obuersis peluibus detecti ac coacti dentibus effugium quærere, negatum à superstructis ignibus, intra viscera cocessum. Disce quod imiteris Caligula. Iam corpora quoque membratim laniata, ardentes tædæ axillis

o. 13. *Decembr.* p. 31. *Octobr.*

totiqúe pectori ſubmotæ, vngulæ viſceribus immerſæ, & quò lentior mors iret, ignes ſubſtructi. Aliqui vrſorum pellibus veſtiti, & laniandi moloſſis obiecti. Alij acutiſſimis iniecti ſaxis, tabulâ tecti, librarum mille ſuperiecto pondere, in fruſta comminuti; eo crudelius & acerbius, quò lentius. Acerba hæc, acerbiſſima ſunt, ſed quiſquis inferorum tormẽta contemplando vidit, de vniuerſis omnium Martyrum cruciatibus conſtantiſſimè pronunciabit: *Vidi multo acerbiora, vidi, vidi*, longè horribiliora ſpectaui. Exigua ſunt, nulla ſunt omnium tyrannorum ſupplicia, ad tormenta inferorum. heu æterna, heu æterna.

§. 4.

Ab Ezechiele Deus promulgari iuſſit: *Vt ſciat omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meum de vaginâ ſua* IRREVOCABILEM, q. Vbi gladius iſte vel ſemel extra vaginam abierit, nunquam rediturus eſt, irreuocabilis eſt. Vt hoc intelligentiæ noſtræ inſtillemus, feſſui nos obſecro recipiamus, ſed prout ille in rupe

q. *Ezech. c. 21. v. 5.*

rupe Choreb, Æternitatis attentissimus contemplator: Sedeamus, inquam, & numeros in chartam aut digitos mittamus hac ratione: Damnati ad inferos mille annis torquebuntur: Non sufficit. Duobus millibus annorū: Non sufficit. Tribus millibus annorum: Non sufficit. Quatuor millibus annorū: Non sufficit. Quinq; millibus annorum: Non sufficit. Decem millibus annorum: Non sufficit. Viginti millibus annorum: Neque hoc sufficit. Quinquaginta millibus annorū: Neque istud sufficit. Centum millibus annorum: Hoc ad æternitatem nihil est; nequaquam sufficit.

Quam tandem subducemus summā, si dictā ratione ad dimidium duntaxat diem promoueamus calculos? Quis rationarius codex computationem hanc capiet? Exacto demum ad vmbilicū die obstupescendus numerus calculatorem suum obrueret. Id demum pronuntiandum foret; Æternitatis mensura non venit ad digitos; nullis includi, nullis comprehendi calculis potest, innumerabilis est. Nam quoscunque numeros in im-

mensum aceruemus, quantumcunque grandem subductionem effingamus, excedit eam Æternitas. Quocunque tandem? In infinitum, in id quod computationem omnem transgreditur, in tremendam sæculorum innumerabilitatem.

Ah, ô mortales, ô Christiani, ah, ah, quàm non cogitamus ista, quàm rarò ad hos calculos sedemus? Verè, Nemo credit, Nemo credit, Nemo credit. Et hæc non somnia, non figmenta, non Rhetorum colores, nullæ hîc amplificationes, exaggerationes nullatenus: Æternæ Veritatis oraculum est: *discedite à me maledicti in ignem Æternum*; r. Non sol ipse clarior his verbis. Sed repeto: Nemo credit, Nemo credit, Nemo credit.

In primâ Æternitatis parte, ad Æternitatem rectiùs expendendam ita lectorem manu ducimus: *s.* Cogita mille cubos mille millionum annorum. Hæc quidem expeditè pronuntiantur, non item expedite considerantur. Sunt anni 1000-

s. Matt. c. 25. v. 41. Luc. c. 13. v. 27. l. Parte 1. Æternitat. Consid. 4. §. 2.

ooooooooooooooooooooooooooo-
oooo. Sunt millies, millies, millies, millies, millies, millies, millies millena millia annorum. Vbi ergo tot millia sæculorum apud inferos transacta fuerint, vti tandem transigentur (nil certius) tũc damnatorum singulis desperatissima cõscientia dicet: Initiũ Æternitatis nondum est, tũ ergo ne finem expecta, nullus erit: tota tibi restat Æternitas. Non minimo seipsa minor est. Et vbi iterum iterumque, ac denuò totidem annorum spatium transierit, idem affirmandum: Nihil sui perdidit Æternitas. Etiamnum integerrima est, nec circumcidi, nec imminui potest, in immensos sæculorum cumulos duratura, semperque vltra.

§. 5.

Hoc denique aio; Æternitas seriò cogitata, si quidquam, mente hominem emoueat, *t.* At Deus non emotam mẽtem, sed emendatos mores quærit. Et quæso date mihi hominem, qui Æternitatis inexplicabile volumen mente seriâ cõtrectet, mox ego dabo, qui quinqua-

t. Solt ein wol vnstinnig machen.

ginta, qui centum annis paratissimus sit in summa vitâ asperitate trahere. Quandoquidem verò tam paucos numeramus, qui in suum ipsi corpus sæviât, qui ad propitiandum Numen rebus duris sedent, cælumque solum suspirent, hinc illud verissimũ Nemo credit, Nemo credit, Nemo credit. De repetitis his vocibus, infrà te, Lector instruam.

Et Ah, saltem eò nos adducerent hæc Æternitatis cogitata supplicia, vt ijs abstinere non nollemus, quæ Deo displicitura nouimus. Hactenus, quod Isaias queritur, *Iniquitates nostræ diuerserunt inter nos & Deum nostrum*, u. Nunc igitur appropinquemus Deo, & appropinquabit nobis, x.

Sed coronidis loco addimus, quod Æternitati explicandæ faciat. Ponimus Orbe toto vnicum esse mare (quod eruditorum fert opinio) illudq; nec augeri nec minui, quod certè post supremum iudicij diem obtinebit. Concedat ergo Deus per beneficium & gratiam (sic fingimus) & ad Æternitatis captiuos submittatur

u. *Is. c. 59. v. 2.* x. *Iacobi c. 4. v. 8.*

mittatur Angelus qui lætum nuntium promulget hoc modo. Bono animo estote, Euãgelizo enim gaudiũ Magnum, quantumuis sero percipiendum. Præcepit Deus vt ego singulis annorum cẽturijs ad mare descendam, vnamque ex eo guttã auferam. Vbi mare totum ita guttatim fuerit siccatum, omnia tormenta vestra desinent; & vos in libertatem cælitum asserendi, hinc emigrabitis. Solatium hoc foret ingens, tametsi post pene innumeros sæculorum tractus promulla libertas obtingeret. Nos quidẽ tam tardum beneficij genus non capimus, neq; hunc finem assequimur, perinde ac si sponsio hæc nunquam in opus exitura. Quot enim Oceani gutta sunt? quis eas in numeros digerat? nostro sensu numerari non possunt, ita nec inferorum supplicia finiri. At certè damnati hanc gratiam probè caperent: Norunt illi omne quod finitum est suis claudi finibus, rerum omnium mẽsuras, præterquam Æternitatis, colligi, mare ipsum stillatim etiam vel tandem exhauriendum. Adeoque illam Angeli promissionem vt optatum

tum nuntium audirent. Sed hoc ipsum illis negatum est: tam beati nuntij ad illos nunquam venient. Nil horum sperari potest. Tam extensum quidem temporis spatium transibit, quo mare vel sic guttatim exhauriri possit, sed post omnē illam durationis intercapedinem damnati & ardent & ardebunt: nullus hic finis, nullus terminus, non exitus, nō clausula vlla; nihil hic vltimum, extremum, nihil, æterna omnia: Vt sciat omnis caro quia Dominus eduxit gladium suum de vaginâ suâ irrevocabilem, y. Æternitas damnatorum inexplicabile supplicium. Inde vel ipsi mortui excitatem nostram comploratem clamant:, Nemo credit, Nemo credit, Nemo credit. Ergo, quod Hieremias idem inclamat, *Saluet vnusquisque animam suam.*

y. *Loco supra cit.* z. *Hier. c. 51. v. 45.*

CAPVT XIII.

Conclusiones tres in præmissa capita.

AVrelius Prudentius, vetus poeta Christianus, æuo Theodosij maioris, a. duos in Symmachum libros vulgauit, in eorum altero arctam ad cælum semitam eleganti versu sic depingit:

Prima viæ facies inculta, subhorrida, tristis,
Difficilis, sed fine sui pulcherrima —
Et quæ præteritos possit pensare labores.

Amplam planamque ad inferos viam ita describit:

Deuia picta bonis breuibus; b. *sed fine sub ipso*
Tristis, & in subitam præceps immersa cha-
(rybdim.

Quàm eleganter his Iobus accinit: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad in-*

a. *Anno Christiano* 390. *l.* 2. *contra Sym.*
b. Wolriechende Pomerantzenbäumlein/ &c. auff beiden seiten.

ferna descendunt, c. Nunc cuique nostrũ soluta est optio eligendi. Elige; Vtra placet? Elige.

Ioseph Christi Domini educator, ex Ægypto in terram patriam rediturus, duas sibi vias habuit propositas: liberum ei erat, quò vellet, aut in Iudæam, aut in Galilæam eundi. Angelus namque id vnum iusserat: *Vade in terram Israel*, d. Hac aut illac via iueris, tui arbitrij est. Iosephus prudenter deliberans, cùm audisset quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illò ire, e. Et ad Cælum nobis, & ad Orcum via patet. Potestas optionis est: eligamus maturè, Vtra placeat. Centies, sexcenties, millies ingeritur nobis, Apud inferos regnare diabolum cum apostatis angelis; apud superos regnare Christum cum sui cultoribus & amicis. Eligamus, quò ire lubeat. Electionem hanc iuuerit, sequẽtia considerasse, vnà cum tribus conclusionibus, quas apponemus.

c. *Iob. Cap. 21. Vers. 13.* d. *Matth. Cap. 2. vers. 20.*
e. *l. cit. V. 22.*

§. 1.

§. 1.

Si quis è Persici Regis Assueri conuiuis super lautitijs epuli regij interrogatus fuisset, ad omnem quæstionem respondere potuisset, summas fuisse lautitias, idque anno medio. Exempli gratia eiusce modi quæstiones illi sint positæ.

1. Quinam ad hoc epulum inuitati? Cuncti Principes, fortissimi Persarum & Medorum inclyti, & præfecti Prouinciarum. Atque hi omnes inuitati, *Ad annum medium.*

2. Conuiuium quale? Hortense, omnium amœnitatum refertissimum. Nemus cultu regio consitum omnia tempe, paradisum omnem superabat, *Idque medio anno.*

3. Quis conuiuij locus? Non aureus solùm, sed & gemmeus. Nam lectuli aurei & argentei super pauimentum Smaragdino & Pario stratum lapide dispositi erant, quod mira varietate pictura decorabat; & hoc in oculis erat, *anno medio.*

4. Quæ conuiuas vmbracula tegebant? Pretiosissima. Nam pendebant ex omni parte tentoria aerei coloris, & carbasini

basini ac hyacinthini, sustentata funibus byssinis atque purpureis, qui columnis marmoreis fulciebantur, *idque anno medio.*

5. Qui cibi ponebantur? Selectissimi, regij, *idque anno medio.*

6. Quis in mensa potus? Vinum, magnificentiâ regiâ dignum, abundans & præcipuum, *idque anno medio.*

7. Quæ pocula aut pateræ, quæ chrysendeta adhibebantur? Aurea. *Bibebant enim qui inuitati erant, aureis poculis, & alijs atque alijs vasis cibi inferebantur*, f. *idque anno medio.*

8. Quæ Musica conuiuas hilarabit? Nobilissima: Omnes Gratiæ & Charites, ipsa Sirenum concordia videri potuisset concinere, *idque anno medio.*

9. Omnesne conuiuæ læti? Lætissimi, *idque anno medio.* Hæc vnus aliquis ex Assueri conuiuis dixerit. Hæc eadem de cælo iure multo potiore dicentur, si pro anni dimidio, æternitatis duratio substituatur.

Sed interrogetur quis è damnatorum nume-

f. *Esth. c. 2. Pluribus versibus, initio.*

numero, similem in modum. Ecquę maxima damnatorum pœna? Tenebræ, dicet, seu Intuitus diuini priuatio, *idque in omnem æternitatem.*

Quæ altera sceleratorum pœna? Fletus & stridor dentium; hæc Plutonis musica est, *idque in omnem æternitatem.*

Quæ tertia? Fames ac sitis incredibilis, idque in omnem æternitatem. Si fames hæc sitisque tantum decies millies centenis millibus annorum esset duratura, minus id graue videri posset, quam visum sit olim ieiunium in sacra confessione iniunctum.

Quæ quarta? Fœtor intolerabilis, è tot cadauerum acerno; è sulfuris Oceano, à tot diabolorum consortio. Fœtor omnis in Orbe hoc nostro cinnamomũ & balsamum est ad illos Erebi fœtores. Prædictum illis sæpius: Expectat vos triste balneum, si hac via pergitis. Sed surdis canebatur fabula. Pergebant. Iam balneum ingressi sunt, non egressuri amplius. Quàm id foret tolerabile, tot annis, fœtore hoc torqueri; quòt ab Orbe condito in hanc vsque horam momenta

transie-

transierunt: sed heu cruciabit hic fœtor sine fine, *idque in omnem æternitatem.*

Quæ quinta damnatorum pœna? Ignis horribilissimus, ad quem flammulæ nostræ possint videri pictæ. Illud inexplicabile, quòd ignis ille sit inextinguibilis, quem nulla flumina, maria nulla, nullum diluuium extinxerit, quem nec ipsa sopiuerit Æternitas. Iudex præmonuit, fixum est decretum, sæpius legendum: Ite in ignem æternum. Vrentur, non comburentur, *idque in omnem æternitatem.*

Quæ verò sexta? Vermis conscientiæ; tantò grauius, quantò abstrusius supplicium. Vt res oculis subijciatur, non aliud cogitandum, quàm igneam felem cuiusque pectori inhærere semper, illudq; vnguibus fodicare ac lacerare, ita tamen vt pectus ita vulneratum, in nouam idẽtidem lanienam recrescat, *idque in omnem æternitatem.*

Quæ septima? Locus & societas execrabilis. Hæc peccatorum fuerunt illicia, quæ caueri poterant, nec cauebantur; nunc pro diæta sepulchrum igneum: pro amico-

amicorum familiaritate sodalitas est diabolorum & damnatorum hominũ execrabilissima. Hic locus semper habitandus, hoc sodalitium nunquam abfuturũ, *idque in omnem æternitatem.*

Et quæ octaua numeratur pœna? Desperatio planè furiosa, quæ momentis singulis sceleratos illos iugulat, nec tamẽ iugulat, perinde si culter aut pugio alius super alium adigatur in præcordia, *idque in omnem æternitatem.*

Et quæ tandem nona inferorum pœna? Ah, ah, ah, inexplicabilis, immensa, incomprehensibilis Æternitas, hæc tormentorum omnium tormentum maximum. Tolerare Tenebras, Fletum, Famem, Fœtorem, Ignem, Cõscientiæ vermem, Desperationem, Diabolorum cõuictum, hęc, inquam omnia tolerare annis mille, aut bis mille, vel etiam decem aut centum millibus, aut tot annorum millibus, quot in quaternione chartę peritissim⁹ scriba posset exprimere; numerus foret nullius Arithmetici linguâ exprimendus, sed tamen finitus, & ob hoc vnum acceptatissimus damnatæ plebi,

quòd

quòd tandem post pænè innumera millia millionum annorum finis futurus esset tormentorum.

Sed sententia lata est, nec reuocari potest. Illa octo supplicia toleranda, *idq; sine fine*, ardendum *idque sine fine*, æternùm, *in perpetuas æternitates*, vt vates Hebræus loquitur.

Atque hoc est quod nunquam satis dici, sed nec cogitari satis, quod nunquàm capi, intelligi nunquam poterit. Æternitas piorum luge suspirium; Æternitas impiorũ formidabile somnium; Æternitas damnatorum inexplicabile supplicium. Restat vt ad septenas in primâ Æternitatis parte positas conclusiones, adijciamus tres alias istas.

§. 2.

Conclusio prima. *Omnia Orbis pretiosa, fungi sunt, vmbræ sunt ad Æternitatem collata.* Argentum omne aurumque, gemmæ omnes si in geminos cõflentur globos; omnia honorum nomina; omnis triumphorum gloria; omnes Salomonis & Sardanapali delitiæ, omnis illecebrarum

rum dulcedo, voluptatum omnis omnino suauitas fungi vilissimi, titiuilitium, & reuera vmbræ meritissimæ, aut rectius, omnia hæc scarabæi vmbra sunt, quâ nihil esse potest vilius, si ad Æternitatem conferantur.

Quis conuiuium illud æstimet, in quo raptim vnus alterue bolus ingeritur, & abitur, g. Quis illud præmium laudet, quod ventre auferatur? Talia sunt vitæ istius bona, buccæ & micæ, medicati boli, vanitas & vmbra.

Ad rem præclarissimè dixit Augustinus: Non nobis sufficit, quicquid longum est in tempore, si habet finem, & ideò nec longum dicendum est. Et si auarissimus, vitæ æternæ auari esse debemus, h. Cetera hîc omnia puerorum nuces sunt, bracteolæ & matteolæ, crepundia & pupæ, i. Hinc illæ diuini Pauli generosissimæ voces: *Existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam IESV Christi, propter quem omnia detri-*

g. Ein Maul voll / darnach auff vnd darnon.
h. *Aug. in psal. 68.*
i. Flendergold vnd Dockenwerck.

detrimentum feci; & arbitror vt stercora, k.

Conclusio altera: *Nullus religiosorum hominum tam parce ac duriter seipsum habet, nemo tantis rigoribus exercet corpus, atque liberati è pœnis alterius Orbis facerẽt.* Quod nos seuerissimam vitam interpretamur, vita voluptuaria est, ad illam seu viuendi seu moriendi perpetuam necessitatem in Tartaro. Nos videri possumus suauissimè dormire, etiamsi complures noctes traducamus insomnes: Nos inter ipsas calamitates delitiamur; illi verè cruciantur, & vel vnâ horâ millies moriuntur.

Scriptor fide dignus commemorat Theodorico Traiectẽsi Præsuli fuisse famulum, qui Eberbach audijt. Hic, hero suo ab insigni prudentia & fideli prorsus industriâ commendatissimus, æmulorũ inuidiâ sic exagitatus est, vt demum velut in rabiem actus cacodæmoni se mancipari t, vt vel inde præsidij aliquid alluceret contra tam maleuolos insidiatores.

Annis

— *Philip. cap. 3. vers. 8.*

Annis aliquot euolutis fato concessit Eberbach; animus corpore solutus in Euripum flammeū abiectus est. Ab hoc igne tantos percipiebat cruciatus, vt rediuiuus diceret, Si ex omnibus Orbis arboribus & lignis rogus strueretur vnicus, malle se in eo vsque ad supremum iudicij diem ardere, quàm horâ vnicâ illis prioribus ignibus torqueri. Sed & Auernale frigus, & tenebras, ceteraſque pœnas ex ordine percensuit. Dum autē his supplicijs afficeretur, adfuit ē cælo nuntius qui miserum affatus: En, inquiebat, hoc prēmium ijs debetur qui diabolo seruiunt. Sed dic, si tibi ad vitam redire liceat, an ob commissas noxas, vitam susciptes expiabilem? At ille: Pœnarum, inquit, nihil recuso, modò hinc exeam.

Hac demum lege voluntariæ mulctæ subeundæ rediit ad vitam, & quia nondum terræ mandatus, in feretro sese erigens, omnes adstātium in fugam egit. Mox ingenti spiritu scelerum pœnas à seipso expetere aggressus, Othoni præsuli in sacram militiam eunti se adiunxit.

Sed

Sed iam eâ vitæ ſeueritate ſe afflictauit, vt iuxta equum nudis pedibus curreret, nec curaret ſpinis ac ſaxis tibias plantaſque variè vulneratas cruentari. Pecuniã pænè omnem in pauperes erogauit. Panis & aqua quotidianum illius ieiunium parciſſimè reficiebant. Erant qui ſummam hanc vitæ auſteritatem mirarẽtur, mitiora perſuaſuri. Quibus ille: Non eſt, inquit, quod miremini; longè grauiora paſſus ſum. Vos ibi ſitis, aliter ſentiatis. Atque vbi ſacrum hoc iter confecit, vna cum vxore religioni ſe addixit, quod vitæ reliquum eſſet, rigidiſſimis piaculis acturus. *l.* Hæc ipſe de ſe Ioanni Xantenſi enumerauit, à quo ea ſcriptor accepit.

Hîc illud moniti nobis opportuniſſimè ingeratur: *Grauiora paſſus ſum.* Et tu, mi Chriſtiane, grauiora patieris, niſi hæc leuia toleres patienter. Eſt cùm apud nos ipſos grauiſſimè iniurias aliorum querimur: hîc quiſque ſibi rectè dixerit. *Grauiora patieris.* Eſt cùm aliorum aures querelis

l. *Caſarius Heiſterbacenſ. l.* 12. *mirac. C.* 23. *qui hæc copiosè narrat.*

querelis opplemus: idem optimè reſpõdebitur *Grauiora patieris.* Idem in omnibus moleſtijs ac miſerijs vſurpandum. Quid malum tuum impatientia exaſperas? Ni caues; *Grauiora patieris.* Nihil eſt quod pateris, nihil eſt ad thermas illas non Neronis ſanguineas, ſed Plutonis flammeas collatum. Ergo, ne *Grauiora patiaris*, patere hæc leuia.

§. 3.

Concluſio tertia. *Non tantum vanus ſed plerumque noxius eſt omnis labor, qui æternitatem non ſpectat.* Quâ de re Chriſtus luculentiſſimè: *Quid prodeſt homini*, ait, *ſi Mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* m. Non ſolum nõ diuitias, valetudinem, delitias, ſed nec Mundum vniuerſum adipiſci iuuat, ſi quis ſeipſum interim perdat. Vtere & fruere diuitijs, valetudine, delitijs quantum vel optare potes; fungi & vmbræ ſunt hæc omnia, ſi poſt vitam hanc palo infigaris flammeo. Contemplemur, obſecro, quâ ratione vſitato apud nos

M ſuppli-

m. *Matth. c. 16. v. 26.*

supplicio per medium hominem adactus stipes per os emergat. Spectaculum horrendum. Pendet miser affixus palo, *n.* & subinde auctarij loco substructus est ignis lentus, pedes ad palum catenis colligati, manus affixæ clauis. Heu diriſſimũ ſuſpendium! Si anno medio, ſi decem, ſi centum, ſi mille, ſi decem millibus annorum, ſi ſemper, ſi æternum ita pendendum ſit?

Heu quid prodeſt homini, ſi Mundũ vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur! Vtcunque capimus hoc oraculum, ſed, quod theologus *o.* dixit. Pleroſque ſenſus carnis excæcat. Hinc veriſſimè Chryſoſtomus: Quamuis, inquit, ignis ille exæſtuet, fluuius flamma accendatur; nos tamen ridemus & delitias amplectimur, & licentiosè peccamus, *p.* Quid ergo hic aliud inclamem, quam illud Hebræi vatis: Saluet vnuſquiſque animam ſuam. Æternitati propinquamus, & illa nobis. Breui vna erimus.

Ioſapha-

n. Geſpißt. *o.* Lucas Burgenſis. *p.* Chryſ. hom 55. ad pop.

Ioſaphatus rex Indorum à Barlaamo Chriſtiana ſacra edoctus, velut per ſomnium vidit inferos, & diuerſorum tormentorum ſeriem, audijtque vocem: Hæc ſceleratorum ſedes eſt, qui ſeſe flagitijs contaminarunt. Vbi triſte hoc viſum deſijt, totis cœpit artubus tremere; riuulorum inſtar lacrimæ fluxerunt, omnia maleſuadæ voluptatis illicia euanuerunt; alium induit hominem Ioſaphatus, q.

Deus bone, quàm nos præfractæ malitiæ ſumus! Non ſomniamus inferos, ſed eſſe credimus, fide minimè fallaci. Verùm qui noſtri nihilominus ſunt mores? Nos quidem alium atque alium hominem induimus, ſed ſemper malum, adeoq; ipſam variamus malitiam, & velut priorem pertæſi, nouum ſubinde nequitiæ vultum ſumimus. Ideò vel ſanctiſſimus quiſque cum Bernardo roget: Subueni mihi Deus meus, priuſquam ſine termino crucier in inferno. Ideò vel impijſſimus quiſque cum Manaſſe

q. *Damaſcenus hiſt. de Barlaam & Ioſaphat C. 30. ſub finem.*

id vnicè deprecetur: Ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum iratus, reserues mala mihi, neque damnes me in infima terræ loca. *Quia tu es Deus*, inquam, *pœnitentium*, r. Et quid ego non homo, sed iumentum, ad te, mi Deus, vociferer, quàm illud vnum: *Parce, ignosce, miserere; ne reminiscaris iniquitatum mearum.*

Cùm Christus Dominus postridie palmiferi sui triumphi è Bethania in vrbem Hierosolymorum tenderet, in via esuriens ficum adijt, inde petiturus fami solatiũ, at vbi nihil in eâ inuenisset, præter folia: *Nunquam*, ait, *ex te fructus nascetur in sempiternum.* Et *arefacta est continuò ficulnea*, s. Tales omnino sunt omnes Acherontis incolæ, ficus maledictę, semper infecundæ, stirpitus eradicatæ, in flammas abiectæ, in flammis semper arsuræ. Nunquam ex illis nascetur fructus in sempiternum. In regnis Behemoth ignota penitus est patientia; nulla submissionis notitia; nulla illic hospitatur virtus, solum est sterilissimum, vbi nullæ arbores

s. 2. *Paral. c. 36. & vlt. fine.* s. *Matt. c. 21. v. 19.*

arbores nisi ad ignē natæ. Nunquam ex illis nascetur fructus vsq; in sempiternū.

Postquam protoplasti parentes nostri pomum vetitum admorderunt, protinus illo amœnissimo horto sunt exclusi, & ad horti custodiam admotus est nō sine armis Angelus. Diuinæ paginæ id testantur: *Eiecitque Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem,* t. Illustrissimum hoc erat diuinæ misericordiæ argumentum, illic famulum duntaxat collocasse, non ipsum Paradisi dominum stetisse cum gladio ad prohibendum omnem ingressum. At verò iudicij supremo die, nulli famulorum gladius permittetur: ipse dominus eum arripiet, stringetque in damnata capita, *Discedite à me maledicti.* Paucula verba sunt, sed librum & volumen ingens faciunt, nunquam satis euoluendum.

Nunc igitur rerum nostrarum satagamus. Tantò quisque minùs miser in Orbe altero erit, quantò miserias suas in isto patientius tolerarit.

t. *Gen. c. 3. v. 24.*

Caput XIV.

Qua ligna, quodue pabulum ignis sit æterni: Vbi de peccati mortiferi inexplicabili grauitate.

VEriſſimè dictum à priſco philoſopho: *Initium ſalutis, notitia peccati.* Reuera non peccabit vnquam grauius, quiſquis mente ſeriâ cùm grauitatem peccati, tum fœditatem inſpexerit. Peccatum ex Orbe tollo, & malum omne ſuſtuleris. Vnum atque vnicum Orbis malum, & ceterorum omnium malorũ ſeminarium, miſeriarum omnium pelagus profundiſſimum, ſuppliciorum eſt abyſſus Peccatum. Hinc illæ Chryſoſtomi voces: Peccatum ſpontanea infania, voluntarius eſt dæmon. Eam ob cauſam beato Ludouico Galliarum regi etiamnum adoleſcentulo mater altiſſimè impreſſum cupiebat: Potius vitam perdere, quàm letali ſe culpâ obſtringere. Rectiſſimè prorſus Ioannes Climacus dixit:

Etſi

Etsi mille annis continuam inediam pane solo & aqua toleraremus, etsi totum Mundum vt nobiscum pro nobis lugeret commoueremus, etsi Iordanem stillatim & guttatim lachrimando per oculos educeremus, nunquam tamen pro commissis peccatis satisfacere possemus.

Inde Sapiens Hebræus tantâ contentione vociferatur: *Quasi à facie colubri fuge peccata*, a. Quis tangit poculum, in quod mors ructauerit, vti Tertullianus loquitur, & in quo venenum minitetur bibenti? Nil habet Orbis formidabilius peccato. Quâ de re dicta scriptaque sunt innumera: nos compendio quintuplicē hanc assertionem statuimus. Quisquis letaliter delinquit:

1. Deum grauissimè offendit, eumque sibi aduersarium & hostem constituit.

2. Diuinam gratiam omnem amittit.

3. Omne genus miseriarum & calamitatum sibi vltro accersit.

a. *Eccli. Cap. 21. Vers. 2.*

4. Cælum in omnes æternitates perdit.

5. In sempiternos inferorum rogos præcipitem se mergit.

Diuinus Paulus rem verbo absoluit: *Stipendia peccati mors*, b. & omnis Mortis comitatus, Luctus, Dolor, Morbus, Mœror, quos velut anteambulones sequitur æterna mors. Hoc omne vt exactius, prout omnino par est, consideremus, assertionem illam quintuplicem, ordine explicabimus.

b. *Rom. 6. v. 23.*

§. 1.

Primum est: *Deum grauissimè offendit eumq; sibi aduersarium ac hostē statuit, quisquis letaliter delinquit.* Peccato summum bonum læditur, ita quidem vt neglecto creatore finem suum in re creatâ constituat homo. Quod summæ iniuriæ est, & simillimum idololatriæ. Hinc toties in diuinis oraculis peccata idololatriæ nomine designantur. Ista in omni peccato grauiore temeritas quouis supplicio dignissima est. Cùm enim Deus vbique locorum

locorum præsentissimus sit, ante ipsius reclamantis oculos patratur nefas, fitque iniuria & cernenti, & audienti. Ita summum regem coram & in os contumelijs afficimus. Et quod fœdius, beneficijs abutimur in offensam beneficia conferentis. Auxilium enim quod nobis Deus in omnibus omnino actionibus præstat, contra ipsum conuertimus: perinde si filio parens gladiolũ porrigat, vt ad se defendendum eo vti cõdiscat, simul etiam imbecille filioli brachium regat, at verò nequissimus puer optimum parentem, dum is ferientis manum sustinet, conetur configere. Hoc agit, quisquis peccat. Dum Deus actiones illius & adiuuat & dirigit, has ipse in Deum iniuriosè conuertit. Atque vt summa hæc in Deum contumelia magis eluceſcat, rem oculis ita subijcimus.

Quotiescunque homo in deliberatione seu ipso peccati aggressu est, medi' inter Deum stat atque diabolum, velut iudex & arbiter, pro qua parte pronunciet. Deus legem à se latam explicat, & vna filium cruci suffixum monstrat, vt

hominem à peccato auertat. Diabolus escam malorum voluptatem obijcit, suadet, inuitat, vt ad peccandũ illiciat: quisquis iam peccat, hoc ipso diabolum Deo præstare pronuntiat; nam auersus à Deo, causam diabolo adiudicat iniquissimus iudex. Quid hoc aliud est quam reipsa dicere: quicquid leges iubeant vetentque, quicquid crucifixus filius moneat, roget, suadeat, imperet, quicquid è cælo minetur Pater, diabolus tam suauiter me inuitat, mulsum tam dulce propinat, vt persuadeat, vt vincat: Eo, sequor diabolum, ab illo me trahi sino, placet hic caupo, quamcunque tandem symbolam apposcat: Verissimè hoc facit, quisquis letaliter delinquit.

Ita in vnam lancem Deus mittitur, in alteram voluptas. Accedit homo velut libripens, atque vbi peccare decreuit, malle se diuinæ amicitiæ, quàm voluptatis iacturam facere apertissimè statuit. Et ita Christo Seruatori latronem Barrabã anteponit.

Quid horrendum magis, quid indignius

c. Obe schon ein thewre Zeit.

gnius ſuprema Maieſtate, quid turpius quàm hoc conditori fieri à re conditâ? Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer, dicit Dominus. *Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ*, d. fontem limpidiſſimum, & impuros riuulos ſectati ſunt.

Atque vt hoc ipſum explicatius tradamus: Hominem peccaturum partes diuerſæ trahunt, vt diximus; hinc trahit Deus, hinc diabolus. Penes hominem ſtat, à quo velit attrahi. Cacodæmon filo aut culmo ligat hominem, (nec enim aliter poteſt) & oſtentat quod vel carnem mulceat, vel erumenam augeat, aut certè famam extendat. His filis, his ille culmis quoquò vult pertrahit, quem ligauit. Vt igitur homo vel ſuæ libidini, vel auaritiæ ſuæ, vel arroganciæ ſatisfaciat, contra expreſſiſſimam Dei legem in vetitum ruit.

Deus quidem vinculis haud facilè rumpendis ligat hominem, beneficia ſua proponit, debitum ſibi ſeruitium exigit, proſcriptionem è cælo, & æterna infero-

d. *Hier. Cap. 2. Vers. 13.*

rum incendia minatur. Sed nihil agit, quicquid promittat, aut minetur Deus: vincit diabolus, & Deo, sic volente homine, antefertur. Hoc enim præstabilius putat homo, blandientem Satanam sequi, quàm præcipientem Deum. Ideò vincula omnia quæ ipsi Deus injecit, cõtumaciter abrumpit.

Dicite iam vos ipsi, qui in malum scientes ruitis, qui hinc & illinc tracti victorem diabolum facitis; dicite, quibus hoc gehennis, quibus æternitatibus hæc in Deum iniuria possit elui?

Hoc ipsum Deus iam olim grauissimè questus: *Rupisti*, ait, *vincula mea, & dixisti: Non seruiam*, e. Ad rem est proprijssimè querela ista. Hoc certè facit, quicũque scelus in se concipit; abrumpit vincula, dicitque, *Non seruiam*. Hinc vel ipsi Christo Deo insultans Satan dixerit: En, hoc tibi tui faciunt; sic homines à te cõditi te amant, ita te honorant ij pro quibus mortuus es, quibus teipsum das & omnia. Quid à me habeant non ignorãt, nihilominus sequuntur me; voluptatula viliſſi-

e. *Hierem. c. 2. v. 20.*

vilissimâ trahi se sinunt à me; ego illos obsequentissimos habeo; me suum esse hostem non nesciunt, & tamen diligunt, modò eis aliquid vel pecuniæ, vel lasciuiæ, vel inanis gloriæ monstrem. En, quantos numerem in meis castris. Ego pro illis nec colaphos tuli, sicut tu Christe pro tuis; nec flagella sustinui nec crucem pertuli, nec mortem obij, sicut pro tuis tu Christe. Sed neque illis cælum promitto neque paradisum offero, sicut tu Christe tuis, quos monitis doces, exẽplis instruis, minis terres, præceptis dirigis. Sed frustra. Te spreto me audiunt. Malunt æternum ardere quam breui tẽpore tuis legibus viuere. Volentibus non fiet iniuria: peribunt quia perire cupiunt. Quia conditorem suum repudiant, me dominum, imò tyrannum habebunt.

Quid ad hæc, inquit Cyprianus, respondemus fratres? An non igitur videtis, ô mortales, & palpatis, quanta hæc in Deum sit iniuria? Atque hoc est quod nullis inferorum ignibus, nullis sæculorum tractibus expiari possit. Nos anxiè

quandoque quærimus: Eccur Deus vnicam letalem noxam, quæ vel momento committitur, æternis ignibus punit? Varia super eâ re Theologi respondent. Vix vllum satisfacit responsum: & nos sequenti capite hac de re plura. At quisquis illud, quod modò diximus, enucleatius perpenderit, vltro fatebitur capitale crimen omne, non posse non infinitè Deo displicere, tamque inexplicabilem esse iniuriam quæ Deo infertur peccando, vt ea nullis vnquam cruciatibus satis elui possit.

Res in aperto est: Quantò persona, in quam peccatur, nobilior ac sublimior, tantò noxa est grauior. Qui sibi æqualē lædit, noxam contrahit, hæc tamen multum augetur, si sacerdotem profanus læserit. Vtraque hac culpa grauior ea est, si episcopum offenderit. Longè grauior, si episcoporum Antistitem, aut purpuratū patrem; grauissima si Regis aut Cæsaris maiestatem spreuerit; longè grauissima, sic homines censent, si ipsam Pontificis tiaram ausu temerario violarit. Hæc incrementa sunt culparum, prout nimirū

dignitas

dignitas crescit, sic & culpa. Hinc cum Deus qui lęditur, sit infinitæ dignitatis, offensa etiam grauitatis sit infinitæ.

Quare quo penitius quis Numen diuinum nosse incipit, eò exactius infandam peccati malitiam & agnoscit & odit. Certè Deus tanto fertur odio in peccatum, vt theologus è diui Dominici familiâ celeberrimus dicere sit ausus: Certissimum est, quòd si quis omnes creatos intellectus in vnum conflaret, & ex omnibus linguis vnam fabricaret; nec intellectus ille comprehendere, nec lingua ista explicare posset illud, quod Deus in peccatum gerit, odium. Cùm enim Deus infinitè bonus sit, amore infinito bonitatem, odioque infinito prosequitur malitiam, *f.* Atque hinc illam præmijs æternis, hanc æternis supplicijs remuneratur: *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam, g.*

Vt autem istius, quo Deus in peccatum fertur, odij magnitudinem paullò altiùs in animum admittamus, consideremus

f. Ludouic. Granat. Part. 1. Memorial. l. 2. C. 7.
g. Matth. c. 25. v. 46.

quandoque quærimus: Eccur Deus vnicam letalem noxam, quæ vel momento committitur, æternis ignibus punit? Varia super eâ re Theologi respondent. Vix vllum satisfacit responsum: & nos sequenti capite hac de re plura. At quisquis illud, quod modò diximus, enucleatius perpenderit, vltro fatebitur capitale crimen omne, non posse non infinitè Deo displicere, tamque inexplicabilem esse iniuriam quæ Deo infertur peccando, vt ea nullis vnquam cruciatibus satis elui possit.

Res in aperto est: Quantò persona, in quam peccatur, nobilior ac sublimior, tantò noxa est grauior. Qui sibi æqualē lædit, noxam contrahit, hæc tamen multum augetur, si sacerdotem profanus læserit. Vtraque hac culpa grauior ea est, si episcopum offenderit. Longè grauior, si episcoporum Antistitem, aut purpuratū patrem; grauissima si Regis aut Cæsaris maiestatem spreuerit; longè grauissima, sic homines censent, si ipsam Pontificis tiaram ausu temerario violarit. Hæc incrementa sunt culparum, prout nimirū

dignitas

dignitas crescit, sic & culpa. Hinc cum Deus qui lęditur, sit infinitæ dignitatis, offensa etiam grauitatis sit infinitæ.

Quare quo penitius quis Numen diuinum nosse incipit, eò exactius infandam peccati malitiam & agnoscit & odit. Certè Deus tanto fertur odio in peccatum, vt theologus è diui Dominici familiâ celeberrimus dicere sit ausus: Certissimum est, quòd si quis omnes creatos intellectus in vnum conflaret, & ex omnibus linguis vnam fabricaret; nec intellectus ille comprehêdere, nec lingua ista explicare posset illud, quod Deus in peccatum gerit, odium. Cùm enim Deus infinitè bonus sit, amore infinito bonitatem, odioque infinito prosequitur malitiam, *f.* Atque hinc illam præmijs æternis, hanc æternis supplicijs remuneratur: *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam*, g.

Vt autem istius, quo Deus in peccatum fertur, odij magnitudinem paullò altiùs in animum admittamus, consideremus

f. Ludouic. Granat. Part. 1. Memorial. l. 2. C. 7.
g. Matth. c. 25. v. 46.

remus obsecro, quãtum supplicij æquissimus iudex vel vnico peccato sæpissime irrogarit. Animus ab actione innotescit; pœnæ à Deo inflictæ odium diuinũ explicabunt. Et quod illud oro, supplicium Angelorum? Lucifer, omnis elegantiæ ac venustatis miraculum multò quàm nobilissimum; cum tot centenis millibus, rectius dixerim, cum tot millionibus Angelorum subitò in flammeas voragines præcipitatus est. Ecquod ab eis facinus est designatum? Vnica superba cogitatio. Ah, ô Deus, Ah! Tantus numerus tantorum regum (ad quorum vel vnicum vel mille reges collati exiguę sint potentię) in æternum damnatus sit? Nec vlla pœnitentiæ aut misericordię, nulla recuperandæ gratiæ facta sit mentio? Ergo ipsissima, ergo omnis æternitas vnicam superbam cogitationem nõ exhauriat? ergo sæcula infinita pro vnica vnius momenti noxa nequeant satisfacere? Iure Deus Angelo apostatæ ceterisque eius affectis dixerit: Extinguere vos penitus, & in nihilum possem redigere, sed eritis Maiestati meæ, beatis Angelis omnibus, homi-

hominibus vniuersis prodigium, portẽtum, nequitiæ spectaculum, iustitię testimonium, æternum mei in vos furoris barathrum.

Si quis mille Regum ac Imperatorum filios capite damnari & securi subijci videat, ingemiscet vtique dicetque: Atrocissimum planè facinus hic sanguis regius commiserit necesse est, quod omnes vna eaque inexorabilis sententia feriat; obstupescendum prorsus, adeò nec precibus, nec numero, nec sanguini, nec clementiæ quidquam dari. Idem omnino hîc cogitandum, & plus quàm obstupescendum, tot Angelorum milliones ad æternos rogos deijci, & nullum veniæ, nullum gratię, misericordiæ nullum dari locum; non genus & originem cęlestem, non maximam multitudinem, non delicti, vt videri poterat, exiguitatẽ spectari, sed pariter vno omnes turbine inuolui, læsæ Maiestatis vniuersos damnari, morti sempiternæ addici.

Ah, ô mi Deus, ah quæ tandem peccati nefanda est atrocitas, vt diuinos furores, eosque tam implacabiles in se prouocet,

uocet, ita quidem implicabiles, vt nullis vnquam sæculis mitius sæuituri sint, nec vllis se supplicijs mitigari sinant. Hinc omnis venia veniæque spes exulat. Deo rebelles, cælo extorres erunt in omne æuum. Effusa est omnis gratia; spes libertatis nulla. Frustra preces, frustra libelli supplices. Conclusum est; Decretum est. Quondam Angeli, nunc diaboli; olim Deo amicissimi, nunc hostes capitalissimi, ardebunt æternum. Et quod delicti genus fuerat? Iā diximus: Cogitatio superba vnica. O Rex gentium, quis non timebit te?

Hîc nemo se fallat, & Angelorum delictum longè alterius fuisse ordinis putet quam sint humanæ noxæ. In protoplastis idem est cernere, quod in Angelis. Primi parentes nostri cum vniuersis posteris diuina gratia exuti, innocētię veste spoliati, paradiso excluſi, æternum exulare iussi sunt, additâ fatali hac sententiâ, *Moriendum esse*. Nec satis fuisset morte vna defungi, Mors æterna iam triumphabat, iam immensum populum sui iuris & census numerabat, & verò etiam omnē humā-

humanam gentem in sua regna traxisset, nisi Altissimi filius humanam sortē miseratus hominem induisset, expiraturus in cruce. Iam perieramus omnes, ni perire voluisset, qui perire non potest. Nam inhærentis peccati contagio ab vno in omnes trāsijt. Et quod illud tam immane fuit Adami flagitium? Pomum vnicum leuiter admorsum.

Eheu tantis lacrimis, tanta funerum strage, tantis supplicijs luendus est pomi morsus? Quid querimur? Hæc peccati ratio est: infinitè Deo displicet, infinitis supplicijs acerrimè vindicatur, nec tamē vnquam expiatur. Furit Deus cùm in peccatum excandescit.

Sed huc magis oculos ad humanæ gētis excidium. Et en Orbis terrarum vniuersus, vnius loco sepulchri est, in quo totum genus humanum aquis sepultum est. Ex omni hominū numero vix octo seruati sunt ab inundatione diluuij. Quę causa tam prodigiosi funeris? Quis tot centena millia hominum in iratum hoc mare deturbauit? Peccatum, præsertim Libidinis. Quis ampliſſimas Gomorrhę,

Sodo-

Sodomæ, ceteraſque vrbes incendio deleuit ? Peccatum, præſertim Libidinis. Quis Sichimorum vrbem euertit? Peccatum, præſertim Libidinis. Quis Beniamitarum viginti quinque millia, Iſraelitarum quadraginta millia in prælio interfecit? Peccatum, preſertim Libidinis. Hic Dei mos eſt, hoc illius in omnia peccata odium; nihil hac in parte diſſimulare poteſt. Nullum peccatum ſine pœna. Et quamuis multa impetrent veniam, nulla tamen non ſubeunt pœnam.

Quæ ſacerdotis Heli ob ſolam in caſtigandis filijs negligentiam ? quę Saulis propter inobedientiam ? quæ Dauidis propter incontinentiam? quę Nabuchodonoſoris ob ſuperbiam? quæ Ananię & Sapphiræ ob auaritiam ? quæ plurimorum aliorum ob culpas, vt videbatur, leuiſſimas pœna fuit ? Achan hoſtilium ſpoliorum aliquid ſubducit, & id morte luit, *h.* Pauperculus ille colligit ligna ſabbato, & lapidatur, *i.* Oza nimium ſollicita manu contrectat Arcã, & vi ſubitâ neca-

h. *Ioſue Cap. 7. Verſ. 25.* i. *Numer. Cap. 15. Verſ. 33.*

necatur, *k.* Obſequens, ſed paululum incautus propheta ſinit ſe decipi, & à leone ſuffocatur, *l.* Iſraelitę cõtra Moyſen murmurant, & ab ignitis colubris interimuntur, *m.* Betſamitæ parum reuerenti oculo ſalutant Arcam, & ſupra quinquaginta millia hominum iugulantur, *n.* Eliſæum irrident pueruli, & eorum quadraginta duo ab vrſis laceranturr, *o.*

Non parcit Deus delinquentibus. Pereat Samaria (pereat anima) quoniam ad amaritudinem concitauit Deum ſuum, *p.* Sit alicubi mare mellis, & vnica fellis gutta in hoc dulciſſimum mare immiſſa vniuerſum illud in extremam mutet amaritudinem, quid quæſo de hoc felle, quid de hac fellis guttulâ ſentiendum? Fel iſtud inexplicabilis & infiniti amaroris eſſe diceretur. Et rectè diceretur. Atq; hæc eſt ipſiſſima peccati amarities. Eſt quidẽ diuinæ pietatis ac miſericordiæ dulcedo infinita, velut mare mellis

k. 2. *Reg. c. 6. v. 7.* l. 3. *Reg. c. 13. v. 24.* m. *Num. c. 21. v. 6.* n. 1. *Reg. c. 6. v. 19.* o. 4. *Reg. cap. 2. v. 24.* p. *Oſeæ c. 14. v. 1.*

mellis immensum. At verò peccatũ mortale quodcunque vel vnicum amaritudinis est tantę, & fel abdit tam malignè potens, vt Deum suauitatis ac dulcedinis inexhaustæ pelagus, in patiendam indignationis ac furoris amaritudinem conuertat. Atq; hoc est quod Oseas clamat: Ad amaritudinem concitauit Deum suum, Anima peccatis suis. Non hæc vel idcò pereat? Deus ipse id questus: *Ad iracundiam*, inquit, *me prouocauit Ephraim in amaritudinibus suis*, q. Hieronymus exponit: Sceleribus suis amarum me fecit, quia dulcissimus eram. Idcircò non parcit Deus delinquenti.

Non iam miror amplius, dixisse Iobum: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti*, r. Adeò certè nõ parcit Deus delinquentibus, vt vel in filio suo aliena etiam delicta acerbissimè puniuerit. Reuerà mors Christi funestissima satis luculentè docet quanto Deus odio peccatum prosequatur.

Cùm ægro pharmacum è fusili auro, aut è margaritis liquidis, aut è lapide Bezoar

q. *Os. c. 12. v. 14.* r. *Iob c. 9. v. 28.*

Bezoar miſcetur, pronum eſt dicere, grauiſſimum eſſe morbum, & præſens vitæ diſcrimen: Ita hîc prorſus nimia fuerit neceſſe eſt peccati grauitas ac fœditas, quam eluere non potuit niſi dominicus, niſi regius infiniti pretij ſanguis. Agnoſce igitur, ô homo, inquit Bernardus, quàm grauia ſint vulnera illa, pro quibus neceſſe fuit Chriſtum Dominum vulnerari.

Imò Chriſtus cùm ſub cruce duceretur ad crucis ſupplicium, ſua vulnera ſuamque mortem defleri vetuit, vt ſcilicet illæ lacrimæ impenderentur peccatis, quæ mortis tam infamis fuerunt cauſa. Enimuerò ſolis Chriſti lacrimis ſatis elui poteſt peccatum. Nam ſi Angeli omnes, quotquot in cælo ſunt, corpora humana induant, & multis ſæculis vel vnius mortalis peccati nequitiam ploret, ne ſic quidem tot lacrimarum nimbis, peccatum illud vnicum ſufficienter deploraretur, quod ſolius Chriſti lacrimæ, eæque ſanguineæ ſatis expiant.

§. 2.

Alterum aſſertionis noſtræ caput eſt:

Gratiam

Gratiam diuinam omnem amittit, quisquis letaliter delinquit. Facinus quodcunque mortiferum omni penitus gratia diuina spoliat. Nil pulchrius animo quem ornat Dei gratia: nihil fœdius quàm animus diuina gratia exutus, & scelere pollutus vel vnico. Coluber est peccatum venenatissimus, vulnus ab hoc colubro est mortiferum, licet suauiter & cum voluptate inflictum. Et ô si oculis videre liceat, quanta peccati sit deformitas ac fœditas, quàm sedulò peccatum fugerēt qui modò sectantur. Deformius est atq; terribilius ipso cacodæmone peccatum. Princeps Angelorum Lucifer, multò formosissimus fuit Angelus, sed peccati vnius fuligine ita omnis eius pulchritudo defœdata est, vt iam teterrimum ac spurcissimum sit prodigium, adeoque horrendum, vt negēt eum diu posse superstitem agere, cuius oculis suam Angelus Apostata fœditatem obiecerit.

Porrò diuinę gratię pretium illud est, vt verissimè dicatur, in Orbe nihil esse pretiosius. Explico. Dixerit quis de auro potabili, aut de aqua vitæ, Vnica liquoris

liquoris huius guttula maioris est pretij quàm sint vel centum plaustra generosissimi vini. Hoc ipsum ad amussim de gratiâ diuinâ dixeris: Pars huius minima pretiosior est omni fauore humano, omnibus Orbis opulentijs. Sit totus terrarum Orbis aureus, nihil pretij est ad diuinam gratiam collatum. Peccatum verò letale quodcunque sic omnem adimit diuinam gratiam, vt eius nil penitus remanere possit admisso peccato.

Quicquid meritorum plurimis annis collectum eluit omne momento effundit vel vnicum peccatum. Ecclesiasticæ vox est: *Qui in vno peccauerit, multa bona perdet*, f. Etsi quis quinquaginta, etsi centum annis in omni virtutum genere se Deo probarit, etsi maximis rigoribus & quotidianis ieiunijs vitam omnem exercuerit, pane solo & fonte vixerit, lumbos ferro strinxerit, in dies se flagris ceciderit, sua omnia in stipem erogarit; si demum letaliter delinquat, vniuersa vitæ prioris promerita perdidit, omnem Dei gratiam

N effudit,

f. *Eccles. c. 9. v. 18.*

effudit, ex amicissimo iam professus Dei factus est hostis.

Res certa; testes luculenti. Ezechieli hoc credamus: *Si auerterit se iustus*, inquit, *à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur*, t. Letaliter vel semel peccasti? Amisisti omnes labores tuos, amisisti gratiam, amisisti cælum, amisisti Deum, adeoque amisisti omnia. Aut igitur quæ amisisti recupera, aut æternum amissa flebis.

Inter supplicia quæ Deus Israeli minatur, illud tanquam omnium maximè formidandum ingerit: *Væ eis cùm recessero ab eis*, u. Hic Dei ab animo recessus atque abitus, mors animi est, malum cui reuera nullum par, malum quod omnes vel acerbissimos diuorum Martyrum cruciatus, quod perpetua damnatorum omnium tormenta superat. Et videte hominis, quem Deus ob peccatum deserit, miseriam. Quicquid agat, quicquid patiatur hic homo, diuinâ gratia destitutus, montes transferat, ignes insiliat, stellas

t. *Ezech. c. 18. v. 24.* u. *Osea c. 9. v. 12.*

las extinguat, fontes accendat, omnibus sæculis admiranda faciat, nec minimum quidem cælestis beatitudinis promerebitur, dum apud Deum in offensa est, x. In liquido caussa est. Fons omnium meritorum diuina gratia est, quâ iste peccãdo seipsum spoliauit. Aut ergo gratiam reparet, aut cælum desperet. Addo quod æquè miserum.

Is qui sic à Deo desciuit, suomet quidem impulsu potuit cadere, suomet conatu surgere non poterit: seipsum in foueam abiecit, sed nunquam reuocabit gradum, nisi Deus porrigat manum singulari ope. Echo non respondet nisi voce pronocetur: qui peccauit, non resipiscit, nisi à Deo excitetur. Sed nemo veniam desperet vel millies lapsus. Peccatis animos resume. Firmior non rarò post lapsum gressus est, certè cautior.

Quando igitur tam atrox peccati genius est, tam detestabilis malitia, generoso prorsus spiritu proclamans Anselmus:

x. *Disponere se tamen poterit ad recipiendam gratiam: ideo à bonis actionibus nunquam cessandum.*

selmus: y. Si hîc, inquit, peccati pudorē & illic cernerem inferni horrorem, & necessariò vni illorum haberem immergi, priùs me in infernum mergerem, quam peccatum in me immitterem. Mallem enim purus à peccato & innocens gehennā intrare, quàm peccati sorde pollutus, cælorum regna tenere, cùm constet solos malos in inferno torqueri, & solos bonos in cælesti beatitudine foueri.

Hanc ob causam, idem sanctissimus scriptor: Aperi oculos, inquit, anima misera, & vide quid fuisti olim, & quid nūc es: quo loco fuisti tunc, & quonunc es. Eras sponsa Altissimi, eras templum Dei viui, eras vas electionis, eras thalamus æterni regis, eras thronus veri Salomonis, eras sedes Sapientiæ, eras soror Angelorum, eras hæres cælorum. Ecce cùm omnia hæc fueris quæ dixi, quoties dico; Eras, Eras; totiès tibi lachrimandum est, dum subitam tuam cogitas mutationē. Sponsa Dei facta est adultera diaboli, tēplum Spiritus sancti mutatum est in spe-

luncam

y. *Anselm. de Similitud. c. 190. seu penult.*

luncam latronum, vas electionis in vas corruptionis, thalamus Christi in volutabrum porcorum, sedes Dei in cathedram pestilentiæ, soror Angelorum in sociam dæmonum; & quæ instar columbæ volitabat per cælum, nunc tanquam serpens reptat in terrâ. Plange itaque super te, ô anima misera, plange; quia te plagunt cœli, quia te plangũt Angeli, quia te planguntomnes Sancti; te plangũt lacrimæ Pauli; te plangunt guttæ sanguineæ Christi Domini; quia peccasti, & nulli illius quod commisisti, pœnitentiã non egisti.

Sed hoc amplius examinemus. Is qui peccauit, aut vulnus conscientiæ sentit, aut non sentit? Si sentit, miser est, nam in dolore est & quidem acerrimo. Vrens conscientiæ tormentorum maximum. Non sentit hoc? Iterum miser est, imò miserrimus. Extremum malorum est, malitiam suam clausis oculis fouere, iamque vulneris mortiferi sensum perdidisse. Ita miseri dum bibũt, vini vim temulenti nõ sentiunt, sentient digesto vino. Optimè dixit Chrysostomus: Primum

malum est, esse malum, 2. Etiamsi ægrū medicus non secet, ægrotat tamen æger; etiamsi non puniat Deus, in morbo tamen est, imò iam moritur qui peccat.

Simillimè locutus Sapiens Romanus: Prima, inquit, & maxima peccantium est pœna, peccasse. Nec vllum scelus impunitum est. quoniam sceleris in scelere supplicium est. Quicquid malè agitur, conscientia flagellatur. Vbi vitia, ibi & tormenta; nec possunt esse sine dolore vulnera conscientiæ.

Hominem malum, etsi nemo petcutiat, laceret, suspendat, mutilet, torqueat, cremet, ipse sibi tortor, carnifex, suppliciū, crux est. Fortassis hæc nō sentit, vt diximus, iamque omnem mali sensum perdidit? tantò igitur infernum incendijs vicinior est, quantò à peccati sensu remotior. Hunc verè mortuum, imò & sepultum, dixeris: Peccauit, & non dolet; Deum grauissimè læsit, nec veniam petit; diuinam gratiam amisit, nec ingemiscit; ius cæli perdidit, nec iacturam hoc esse credit: iam inferis transcriptus est, & etiā-

num

2. *Chrys. tom. 5. serm. 5. de ieiunio.*

num ridet, O pecudem! ô saxum! ô rupem! Hæc peccati maligniſſima ſunt artificia, homines mutare in pecudes, in ſaxa, quæ vulnus antè non ſentiunt, quã in iguibus ſunt.

Cùm in tergo hæret ſupplicium, abominationi eſſe incipit peccatum. Fitque non rarò, vt qui flagitijs ſenſum omnem perdiderunt, prius ſentiant gehennam, quàm deſinant vitam. Ita Sodomęi ac Gomorrhęi ciues prius inferos experti ſunt, quàm eſſent apud inferos. Ad rẽ Chryſoſtomus: Quòd ſi, ait, audito gehennæ nomine, irrides ac fidem non habes, illum ignem recordare Sodomorũ. Vidimus enim, vidimus, & in præſenti quoque vitâ gehennæ effigiem. Tale eſt Sodomorum incendium, id quod ſciunt ij, qui ad ea loca profecti, plagam illam diuinam, ac cæleſtium fulminũ opus oculis ſubiecere. Cogitato quàm graue illud ſit peccatum, vt quod ipſam gehennam etiam ante tempus exiſtere coegerit, a.

Peſtis & fulminis obſtupeſcendas,

a. *Chryſ. hom. 4. in epiſt. ad Rom.*

incredibiles, sed & abstrusissimas vires nemo vnquam satis explicauerit: multò tamen minus peccati, quod verè pestis exitiosissima, verè fulmen sæuissimum, vastans omnia. Peccatum malorum omnium verè maximum malum, & solum malum est. Peior est culpa quam mors, peior quàm gehenna, peior quam quæuis pœna, cùm sit cuiusuis pœnæ causa.

Susanna ad vendendam pudicitiam inuitata, masculo prorsus pectore: *Sibos*, inquit, *egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras*, b. Quid ais Hebræa mulier, quid hîc loqueris? Imò si adulteris non consentias, moreris: si consenseris, effugies mortem. At illa dictum perseuerans: *Mors*, inquit, *mihi est, si hoc egero*. Nouerat castissima matrona mortem aliam, quam sit illa corporis, mortem continuam, æternam, ad quam mors corporis collata, mors non sit. Verissimum illud Apostoli: *Peccatum cum consummatum fuerit, generat mortem*, c. Hinc Susanna generosissimè subiungit:

Melius

b. *Dan.c.13.v.18.* c. *Iacobi.c.1.v.15.*

Melius mihi est absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini, d. Discè Christiane à matrona Hebræa, potius corporis vitam perdere, quam Dei gratiam.

d. *Dan. 13. v. 23.*

§. 3.

Tertium est quod initio posueramus: *Quisquis letaliter delinquit, omne genus miseriarum ac calamitatum sibi ultro accersit.* Atquin omnium omnimo miseriarum, calamitatum omnium vna vnica est causa Peccatum. Cyprianus literis Donatu hortatur, vt in montem sublimis iudicij ascendat, & inde prospiciat obsessa piratis maria, vallara prædonibus itinera, valles grassatoribus refertas colles ab exulibus occupatos, fures & homicidas vbiq; frequentes, vrbes tumultatibus diuisas, regna bellis attrita, nusquam non plurimum malorum. Omnium causa peccatum; omnia turbat & confundit peccatum.

Rectissime Chrysostomus: Nomina calamitatum, inquit, philosophantibus

nomina tantùm sunt, vera autem calamitas est, Deũ offendere, *e.* Nimis Deũ abijcit, qui lucrum aut voluptatem, qui pecuniolam aut mulierculam audet præferre Deo. Si Deo Deum aliam æquè formosum, diuitem, liberalem, sanctum præferremus, prudentior nonnihil esset stultitia nostra; at cum sordes & vilissima quæque, cùm guttulas mari, cùm res conditas, res caducas conditori præferimus impiè, hoc demum insania luculenta, hoc manifestaria impietas, atque hoc malorum omnium Letna, hoc omnium arumnarum est seminarium. Sed

Nil mortalibus arduum est.
Cælum ipsum petimus stultitia; neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Deum ponere fulmina, &c.

Mortalium flagitiosa temeritas, non dubitat quiduis audere. Vel ipsæ hoc fabulæ loquuntur. Gigantes cælum affectant. Hercules inuadit inferos, Iason cum socijs scrutatur maria, Dædalus sese aeri

e. Chrys. hom. 5. ad pop. & Horat. l. 1. Carmin. Ode 3. fine.

aeri credit. Hoc nimirum fabulis docemur: Superbi gigantum instar moliuntur expugnare cælum, quod solâ Humilitatis viâ aditi potest. Contemptores Numinis rident inferos. Auari Iasones & velleris aurei sitientes se pelago committunt. Ambitiosi Dædali omnem captant auram inanis gloriæ. Audax omnia aggredi gens humana ruit per veritum nefas.

Et vnde tandem dissidia, contentiones, litigia, bella, ruinæ, nisi è solo peccato? Quicquid in humano corpore sanitatis, virium ac formæ est. Morborum & Mortis pabulum ac præda est operâ peccati. Hebræus rex meritò vociferatur: *Non est sanitas in carne mea, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum*, g. Quocirca medicus è cælo, non vile solum, sed & necessarium in morbos consilium suggerens: Iam, inquit, noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Pestilentiam, & omne morborum genus in faciem contra nos eduxit Peccatum.

g. *Psal.* 37. v. 4.

Macies, & noua febrium
Terris incubuit cohors:
Semotiq; prius tarda neceſſitas
Leti corripuit gradum, h.

Horum omnium cauſa Peccatum. Euolue Regum faſtos, & arrogantiam potiſſimum mulctari animaduertes; Ezechielem perlege, & rapinas; Ioelem, & laſciuiam varijs cladibus puniri cernes. Plena omnia diuinæ iuſtitiæ exemplis. Quantum calamitatis in Reges Iſrael, in Coritas, in Sodomitas, in Dathan & Abiron aſſeclas, in Iudæorum populum, in infinitos alios Peccatum non immiſit? Quot centena millia, quot milliones hominum fame, ferro, flammis, peſte, ſulfure, aquis Peccatum abſumpſit? *Perierunt propter iniquitatem ſuam,* i. *Quoniam qui malignantur, exterminabuntur,* k.

Ita mors in omnes homines pertranſijt per peccatum, l. vt vita non ſit niſi mors cõtinua. Et meminerimus omnia mortis inſtrumenta, carceres, cippos, numellas, manicas,

h. *Horat. l. 1. Carm. Oda 3.* i. *Pſal. 72. verſ. 19.*
k. *Pſal. 36. v. 9.* l. *Rom. c. 5. v. 12.*

manicas, funes, equuleos, flagra, virgas, taureas, craticulas, rotas, scorpiones, sartagines, pectines, cruces, & quicquid eiuscemodi feralis supelle&tilis est, excogitatum esse propter peccatum, aut inuentum ab ijs quibus in innoxios peccare voluptas est. Sic enim variatur peccati supplicium, sicut infinitè varium est ipsum peccatum. Non tot Proteus finxerit personas, non Empedocles tot transmutationes, nec Pythagoras tot transmigrationes, nec Chaldæi tot varietates, nec Euantius tot imagines, quot Peccatum subit formas, induit personas.

Quemadmodum verò sola probitas & morum innocentia hominem supra homines attollit, ita improbitas & nequitia hominem infra homines deijcit, & in belluam mutat. Num homo cēsendus, qui voracitate lupum induit, iracundia canem, superbia pauonem, auaritia bufonem, leuitate passerem, astutia vulpem, rapacitate vulturem, furore leonem, timiditate ceruum, lasciuia hircum?

Hinc Dauid rex ſerpentes & aſpides dixit iracundos; inſipiétes mulos; Adulteros Hieremias equos; Pharaonem Ezechiel draconem; Phariſæos Ioannes genimina viperarum; Impudentes Chriſtus canes & porcos, Herodem vulpem appellat. Homines peccatum in feras tranſmutat. Ex oraculis diuinis id liquet. *Homo cum in honore eſſet, non intellexit; cõparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis*, m. Parum hoc. Hominem peccatum tranſmutat in diabolum. Apertè Chriſtus diſcipulis: *Ex vobis vnus*, inquit, *diabolus eſt*. n. Et Iudæorum turbis obiectum: *Vos ex patre diabolo eſtis*. At diabolus, inquit Anſelmus, non terroribus aut minis, ne peccaret, monitus eſt. Homo, licet intentata morte, peccatum tamen non cauit; Diabolus ſemel, homo millies ac millies, iterumque millies delinquit; ille in creatorem, iſte tam in creatorem quàm redemptorem calces elidit impiè.

In hominem inuidum grauiter excandeſcens Chryſoſtomus: Nam inuidus,

m. *Pſal.* 48. v. 13. & 22. n. *Ioan.* c. 6. v. 71.

dus, inquit, ipso diabolo magis diabolus est. Inuidet Satan, sed hominibus, non socijs. Tu verò homo cũ sis, inuides hominibus, odium aduersus genus naturamque communem exerces, quod ne Satan quidem facit, o. Ergo flagitijs opertus, rectè diabolus, sed & infernus dicitur. Ioannes Apostolus: *Et infernus, inquit, & mors missi sunt in stagnum ignis*, p. Et quomodo hoc tandem? An infernus in infernum missus est? Ita prorsus; sic sacri interpretes affirmant. Nam qui vitam criminibus implet rectissimè Infernus dicitur. Nam sicut infernus tormentorum ac cruciatuum locus, diabolorum domus est, sic impius conscientiæ lanienam, & sæpe diros cruciatus gerit pectore, quod cacodæmoni pro domo locat. Ita infernus iste mittetur in infernum.

O Peccatum, ô ventum horribilem ac pestilentem! qui flores, frondes, fructus humanarum stirpium decussit; qui iustitiam,

o. *Chrys. tom. 3. in c. 9. Ioan. hom. 54. fine. Et tom. 4. in 2. ad Cor. 12. hom. 31. ante finem.*

p. *Apoc. cap. 20. vers. 14.*

iustitiam, immortalitatem, scientiam ac innocentiam, & hominem homini ademit. O virus letaliter amabile, ô toxicū ad vsque animi medullam sæuiens, nullis calamitatum fluctibus, nullis inferorum incendijs sopiendum!

Quærit cælestis Pater è protoplasto iam reo: *Adam vbi es?* q. Ei Adam vere responderit: Nusquam sum. Nusquam tunc erat, nec enim in Deo erat ob commissum peccatum; nec in paradiso ob contractam pœnam; nec in seipso ob cōscientiæ retrorsum, nec in rebus creatis, ob motam rebellionem, nec in Mundo, ob propriam inconstantiam. Nusquam, sicut nusquam erat, vbi bene esset rapacissimo torrenti non absimilis, cuius aquas properante impetu defluentes hic vel illic esse dicendum non est.

Vis ergo scire, quid sit peccatum? Vnicam Adami noxam intuere. Quot ea milliones hominū in extremas miserias præcipitauit? Hinc fames, bella, pestis, hinc calamitates, ærumnæ ac cædes, hinc morborum agmina, hinc mors ipsa. Ab vno

q. *Gen. c. 3. v. 9.*

vno hæc omnia peccato sunt. A tali arbore tales fructus, à tali causa tales effectus. Ad istud quidem expiandum Dei filius in crucem actus est; quot millia nihilominus in Erebum detruduntur ob peccatum? Quisquis hæc serius cogitat, cùm voluptas ad peccandum inuitarit, liberè dicet: Æternum pœnitere tanti non emo.

E cælo tonitrua, nix grandines, fulgura, procellæ, turbines, fulminaque ruunt; horum omnium causa exhalationes & vapores è terra sursum euecti natiua lenitate, qui variis tempestatibus in terrā redeunt. Haud aliter è cælo in nos fames, bella, pestilitas, morborum & miseriarū plurimarum quotidianæ tēpestates veniunt, quæ quidem à Deo immittuntur, sed prius vapores & exhalationes peccatorum emittuntur; hinc omne tempestatum genus; hinc omnis calamitatum turbo. Illud Metereologia, istud Theologia nos docet. Et rectissimè Gregorius: Mala, inquit, quæ patimur, mala nostra meruerunt. Siracides id affirmat: *Mors, sanguis, contentio & romphæa, oppressiones,*

siones, fames, & contritio, & flagella: super iniquos creata sunt hæc omnia, r.

Peccatum nos paradiso exclusit, & in hanc vallem lacrimarum, in hoc exiliū, in hoc mare procellosum eiecit, vbi venti vehementes, & fluctus ingentes, vbi quotidiana naufragia, vbi omnia mala. Verè *miseros facit populos peccatum*, quod Salomon affirmat, *s.* Vnde tot olim infestationes Turcarum, tot incursus barbarorum, tot victoriæ aduersariorum? Vnde fames & pestis tam crebra? Cur cælum sæpe nobis æneum, cur nubes nonnunquam aut nimijs imbribus abūdātes, aut nullis? Vnde tot agmina morborum, tot febres, epidemiæ, pestes? A peccato hæc omnia: Peccatum omnium miseriarum pelagus.

Cum Romano Sapiente dixero: Errat si quis putat Deum nocere vellenon potest. Deus nec dat malū *t*, nec habet: ceterum castigat quosdam, & coercet, & irrogat pœnas. Vis Deū propitiare? bonus esto, *u*. *Mundi sunt oculi eius, ne videat*

s. Eccli. c. 40. v. 9. & Prou. c. 14. v. 34.
t. Peccatum. u. Seneca epist 95. post med.

deat malum, & respicere ad iniquitatem non poterit, x. Ideò extremè odit peccatum. Nam vti lux natura tenebras auersatur, pulchritudo turpitudinem, bonitas malitiam, puritas immunditiam, vita mortem, sic & sanctitas omnem nequitiam & fœditatem. Sicut igitur Deus sanctitatem infinito amore, ita necessariò peccatum odio prosequitur infinito. Odij signa sunt, quæ modò numeramus.

Principio seipsum Deus suamque gratiam subtrahit ei qui peccauit. Deinde, varijs calamitatibus in hoc etiam Orbe, velut præsente moneta punit peccata. Tertiò ius cæli adimit ei qui delinquit. Aut igitur resipiscendum, aut cælo valedicendum. Quartò quodcunque letale peccatum incendijs punit æternis, & tamẽ (quod obstupescendum dictu est) citra condignum punit. Omnium Theologorum ore asseritur, noxæ letali cuiuis vel vnicæ sempiternum esse decretum supplicium, nec vllis tamen æternitatibus futurum vt dici possit: Hæc noxa sat pœna-

x. *Habac. c. 1. vers. 13.*

pœnarum sustinuit. Quid ergo est peccatum mortiferum? Heu, Ehou! Hic omnes Angeli loquantur, nec tamen satis eloquentur illud infinitè abominãdum, quod sub mortifero peccato vel vnico delitescit.

Horrendum est quod in detestationem peccati letalis Ludouicus Blosius pronuntiat: Si Mater Domini, ait, Virgo beatissima peccasset mortaliter, ac sine contritione mortua esset, cælum nunquam obtinuisset, sed cum dæmonibus in inferno cruciaretur; y. Tam exacta est Dei iustitia.

Atque hoc sanctissimæ fœminæ Birgittæ patefactum, quæ dæmones ad supremum iudicem sic audijt vociferantes: Si res illa, quam præ omnibus diligis, quę est virgo quæ te genuit, & quæ nunquã peccauit, si inquam illa peccasset mortaliter, & sine contritione diuinâ mortua fuisset, sic diligis iustitiam quòd anima eius nunquam obtineret cælum, sed esset nobiscum in inferno, &c. Nimi-

y *Blosius Monil. spirit. c. 1. ad finem. 2. Reuelationes S. Birgitta l. 4. C. 7. ante med. cuius ipsissima verba sunt.*

Nimium obstupescenda vis est cuiuscunque peccati letalis. Miratur Plinius argentum, æs, aurum in sacculis cerâ obsignatis, à fulmine liquari, sacculis penitus illæsis, & ceræ signo nec quidem confuso. Mirabilius multò est animam solius peccati abditissimo illapsu ita iugulari vt eam æterna mors sibi obnoxiá habeat semper iugulandam, nunquam extinguendam.

Solerter submonens Chrysostomus: Fratres mei, ait, nolite pueri effici sensibus, sed malitiâ paruuli estote, etenim puerilem pauorem habemus, mortem timentes, pueri enim laruas timent, ignẽ non timẽt facilè, quippe manum admouent igni: sic & nos timemus mortem, quæ larua est digna contemptu, peccatũ verò non timemus, quod verè timendũ est, a. Peccatum, quia omnem eripit diuinam gratiam, miserijs peccantem omnibus subijcit, & ad mortem trahit æternam. Atq; hoc tertium est nostræ assertionis caput.

a. *Chrys. hom. 5. ad pop.*

§. 4.

§. 4.

Quartum est: *Quisquis letaliter deliquit, talem in omnes æternitates perdit.* Peccatum cælo excludit, cælo empyreo, quod ornatu amœnissimum, situ altissimum, spatio amplissimum, omni ex parte perfectissimum Mundi miraculum. Hoc tali cælo excludit peccatum. Supremi regis decretũ nouimus à Paulo promulgatum: *Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus (quod est idolorum seruitus) non habet hereditatem in regno Christi & Dei,* b. Damnum hoc non vltimum, sed certè maximum est. Tametsi nocumentum aliud non inferatur à peccato, istud abunde satis, & nimium quàm satis est, delitijs priuari æternis. Dici potest hoc damnum, æstimari non potest. Rectè Augustinus. Si possemus, inquit, facere fratres, vt dies iudicij non veniret, puto quia nec sic erat malè viuendum, &c. Sit ergo; Ignis diuini iudicij neminem corripiat, quibuscunque lubuerit delitijs

b. *Ephes. cap. 5. vers. 5.* a. *Aug. tom. 8. in ps. 49. post princip.*

tijs affluant peccatores, & semper affluãt, si tamen separati sint à diuino vultu, nec eum vnquam videant à quo creati sunt, infinito & damno, & supplicio mactati sunt, meritoque in qualibet æternitate, vt Augustinus loquitur, & impunitate peccati plangere se deberent.

Illud quidem dictum in Rhetorum scholis videtur natum : Quis mihi det membranas perinde vt cælum extensas, quis mihi tot calamos suppeditet quot arboribus sunt folia, quis mare in atramentum mutet, vt scribam damna quæ letale peccatum infert, *d.* Sed nulla hic auxesis, exaggeratio nulla, nam etsi tot sint calami, tantum membranæ ac atramenti ad scribendum, nemo tamen vnquam perscripserit, quantum homini peccatum noceat, cum noceat æternum.

Veritas ipsa pronuntiat : *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* *e.* Nam hominis istius imaginem in cælesti ciuitate ad nihilum redegit Deus, idque iure

d. Amandus Horolog. Sapientia l. 1. c. 4.
e. Matth. cap. 26. vers. 24.

iure merito, quia infinitam Deo contumeliam intulit. Quantò enim minus est bonum quod Deo præfertur, tantò maior est quæ Deo infertur contumelia. Atquin omnis thesaurus, voluptas aut dignitas omnis bona sunt infinitè minora Deo. Infinita igitur Deo fit iniuria, cui æquissimè respondet infinita pœna.

Et nónne is sibi plurimum obstringit cum, cui centum auri marcas largitur gratis? Atqui vel sola lingua, vel oculi soli à Deo nobis concessi mille auri marcas in infinitum superant. Accedit corpus, & corporis inquilinus animus vel mille Mundis pretiosior.

Ægidius è diui Francisci sociis hominem profanum instruens: Quidam, ait, manibus, pedibus, & oculis carebat. Hûc vnus aliquis amicorum sic allocutus est: Si quis, amice mi, & manus tibi, & pedes, & oculos restituat, quid tu illi reponas sostri loco? Seruum, inquit, me illi abdicam in omnem vitam. His in antecessum dictis Ægidius: Et tibi, mi frater, quis manus, & pedes, quis oculos, & linguam,

& au-

& aures, totumque corpus, quis animū, & quicquid boni habes, largit' est? Deus vtique. Igitur si ob restituta membra nō multa, te seruum geras: quid ob attributa tibi membra omnia, Domino Deo rependes? Quàm autem indignum est oculis eum offendere, qui oculos dedit, & ijs illum manibus lædere, qui manus tribuit, & eâ illum linguâ lacessere, qui linguam formauit?

Hinc certè infinita seruiendi Deo nos vincit obligatio, atque ob hanc etiam transgressionis culpa, & quod sequitur, culpæ pœna est infinita. Nam, quod breue fuit tēpore vel opere, inquit Bernardus, longum esse constat in pertinaci voluntate. Quia sicut condemnatus est, qui in vitiosa permanet voluntate, sic reprehensibilis est, qui in alijs non studet proficere, *f.* Sic omnino, cuius vita moritur in culpa, eius mors viuit in pœna, eaque sempiternâ: Sine fine viuere cogetur, vt sine fine per mortem crucietur. Mors eum semper depascet, nunquam consumet.

O Eheu,

f. Bern. in paruis sermon. n. 15.

Eheu, rapidissimi temporis volaticam hilaritatem, seu hilare momentum opibus, gloriæ, voluptatibus nullo æuo morituris præponimus; acum perdimus, & tristamur; cælum amittimus, & ridemus. Scimus à quolibet graviore delicto æternitatem pendere duplicem, felicem & infelicem; illius iacturam, huius pœnam cuicunque letali noxę decretam esse. Scimus hæc, scimus, & tamen tam temerè delinquimus, maximè in tam dubia vitâ, quæ nullum momentum à morte liberũ polliceri potest. Quis sibi horam post seclus alteram, quis adeò momentum doloris & pœnitentiæ vel vnum spondeat? Nihilominus in tantâ vitæ incertitudine, tam dubiâ re, scientes volentesque salutis æternæ, ignis æterni periculo nos exponimus: ita sponte animi flammis nos induimus non morituris, gloriâ exuimus æternâ. Sic reuerà cælum insani odimus. Cælum odit qui contemnit, qui negligit, qui vltro peccatis se inuoluit.

Lacon, vti Plutarchus memorat, voto seipsum obstrinxerat, de rupe Leucade

cade præcipitem se dare. At vbi conscendit montem, & formidandam altitudinem conspexit, horrore concepto auertit sese, & pedem reuocauit. Cumque illi hoc probri gratia obijceretur: Nō putaram, inquit, ad illud votum maiore opus esse voto, g. Qui facinus arduum animo concipit, priùs animum facinori parem induat necesse est. Verùm quid istud ex editâ rupe, in imam vorag nem præcipitium, ad illud sit è cęlo in tartarum sese abijcere? Quâ igitur ratione innumeri seipsos præcipites agunt è sede beatorū, in barathrum diabolorum? Nimirum clausis oculis id faciunt, infinitam peccati malitiam non expendunt, inextricabiles æternitatis gyros non respiciunt. Viam ad inferos cæci ac compressis oculis percurrunt. Quisquis vero cæcus esse non sustinet, omnibus studijs ac votis hoc præcipitium cauet. Mauult omnia pati, quàm illuc deijci, vnde reditus negatur.

g. *Plutarch. in Lacon.*

§. 5.

Quintum assertionis nostræ caput est: *Quisquis letaliter delinquit, in sempiternos inferorum rogos se mergit.* Æternitas ignis infandum peccati supplicium. Nil insit peccato mali, hoc certè malorum omnium compendium est. Peccati stipendium æterna mors. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur: iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum*, h. Præclarissimè Augustinus: Quanta pœna est, inquit, tantummodo à facie Dei separari? Qui autem illam dulcedinem non gustauerunt, si nondum desiderant Dei faciem, timeant vel ignem; supplicia terreant quem præmia non inuitant. Vile tibi est quod Deus pollicetur, contremisce quod minatur. Veniet dulcedo præsentiæ; non mutaris, non excitaris, non suspiras, non desideras? Amplexaris peccata tua, & delitias carnis tuæ; stipulas ad te congeris, veniet ad te ignis.

Ignis in conspectu eius exardescet. Non erit iste ignis sicut focus tuus, quò tamen

h. *Ezech. c. 18. v. 4. & 20.*

tamen si manum mittere cogaris, facies quicquid voluerit qui hoc minatur. Si tibi dicat: Scribe contra caput patris tui, scribe contra capita filiorum tuorum, nam si non feceris, manum tuam mitto in focum tuum; facies, ne ardeat manus tua, ne ardeat ad tempus membrum tuum, non semper in dolore futurum. Minatur ergo inimicus tam leue malum, & facis malum: minatur Deus æternum malum, & non facis bonum? *i.*

Quicquid malorum diaboli in animos nostros inuehunt, id operâ peccati faciunt. Hinc innumeræ animi perturbationes, formidines, suspiciones, fluctuationes, mœrores, anxietates, desperationes. Sic hominis animus per peccatum fit infernus. *Non est pax impijs, dicit Dominus.* k.

Homines ij qui peccatis sese permittunt, à cacodæmone tot catenis onerantur, dum ipsi suo se pondere in inferorũ barathrum præcipitent. Dum viuunt,

i. *Aug. tom. 8. in Psalm. 49. post princip.* k. *Is. cap. 48. vers. 22.*

inferis identidem viciniores fiunt, *l.* veluti cùm grãde ſaxum è monte deuoluitur, totics reuolutum ruit, dum in imo ſit. Sic carnifex furẽ magnæ olim dignitatis, cùm per fatales ſcalas attraheret, his eum vocibus animabat: Domine, adhuc vnum gradum ſuperemus, *m.* Tandem collum inſeritur reſti. Sic & auiculæ ad inſidioſam eſcam inuitatæ toties eunt, redeunt, iterum iterumq; cum pluribus remeant, dum denique capiantur. Sic & potatores: Adhuc vnum caliculum, aiũt, adhuc vnum; hic vltimus eſto: Sicq; caliculos toties repetunt, dum vino ſaucij è menſa ſint aſportandi. Hæc ratio peccandi eſt. Initio ſatis eſt feciſſe ſemel. Tũ duplicantur, quadruplicantur, multiplicantur, centuplicantur lapſus.

Ita qui principiò clam ac verecundè deliquit, denique perfrictâ fronte impudenter audet facere, quod cogitare aliquando

l. Noch ein ruckerlin / wider eins / vnd aber eins / nur noch ein rückerlin / biß man im Abgrund iſt.

m. Herr / noch ein Stäffelein; *ſcalarum radium deſignabat.*

quando verebatur. Ita turpitudo prima plerunque non sola, ceteras post se trahit grandi numero turpitudines. Cœptum est ab vnâ, addita altera, & tertia, & decima, & centesima. Sic surculus excrescit in siluam, sic gutta tumescit in Oceanū, sic scintilla glisci in incendium æternitate totâ non sopiendum. Hæc omnia peccati sunt stipendia.

Atque ideò plurimi maluerunt mori quàm vel semel peccare. Castissimus Ioseph mauult famam, imò & vitam perdere, quàm castimoniam temerare. Verecundissima Susanna: *Melius est mihi*, exclamat, *absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini*, n. Dulcius ei fuisset lapidibus insterni, quàm adulterio inquinari. Beatissimus Paulus certus est *à Charitate Christi se nec morte quidem separandum*, o.

Ambrosius præsul longè paratior est omnia pati quàm malè agere. Cùm enim Ruffinus Theodosio Imperatori spem

n. *Dan. Cap.* 13. *Vers.* 23. o. *Rom. Cap.* 8. *Vers.* 38.

faceret flectendi à sententia præsulis: Noui ego, ait Imperator, constantiam Ambrosij; nullo regiæ Maiestatis terrore Dei legem transgredietur.

Chrysostomus non minùs animosus Eudoxiæ Augustæ fatales minas adeò non exhorruit, vt fuerit qui Imperatrici hæc renuntiaret: Frustra hominem terremus; nihil ille nisi peccatum timet. Rex Galliarum Ludouicus etiamnum puer à Blancha matre didicit, potius mortem oppetere, quàm consensum letali noxæ permittere.

Anselmus Cantuariensis Antistes, si ei liberum fuisset, aut letali peccato, aut Orci barathro se mergere, maluisset mergi barathro quàm peccato. Edmundus in eodē solio successor dignissimus: Potiùs, aiebat, in ardentem rogum insiluero, quàm vllum peccatum sciens in Deum commisero.

Sanè Democles emendatissimæ formæ iuuenis, vt Demetrij regis vim impudicam eluderet, in bulliens aheneum insiluit. Suauior ei fuit tam acerba mors, quàm vita minus casta. Sic & Papinianus Iurecon-

Iureconsultus, licet Christianis sacris nō imbutus, mori maluit, quam Caracallæ Imperatoris facinus in fratrem designatum defendere. Hinc vetus dictum:

Tolerabilior est qui mori iubet, quàm qui male viuere, p.

Homo letali crimine contaminatus vilior ac miserior est cane, porco, bufone. Hæc enim vnam naturæ mortem debent, ille duas. Vnam, sed breuem naturæ; alteram, sed æternam Deo. Homo peccatis mersus, Basiliscorum nidus, latronum infernalium spelunca rectè dicitur. De improbis istis affirmans Paulus: *Pœnas*, inquit, *dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius*, q. exclusissimi in omne æuum.

Heu, quæ vnquam ætas tam efferam tulit belluam, quæ in aliam plus quàm simplici morte sæuiret? Aut quis carnifex, quis tyrannus, morte vnâ non contentus mori post mortem docuit? Semel occidisse cuicunque barbaræ crudelitati satis est. At Peccatum omni bellua & ty-

p. *Publij Mimi.* q. 2. *Thess.* c. 1. v. 9.

ranno sæuius, non contentum semel in hominem sæuijsse, sæuit æternùm. Vides reum ad rotam trahi, & in viâ candentibus forcipibus lacerari; mox è tam graui supplicio, immania hominis facinora fuisse colligis; quantum ergo piaculum erit, quod nec æternis quidem supplicijs vnquam expiabitur?

Et hæc toties agitari, hæc toties à Deo denuntiari, nec manum nos à sceleribus retrahere? Hæc sciri, & tamen diuinas leges audacissimè violari? Hoc nimirum æterno cœli exilio mulctat, hoc ignibus æternis obijcit, in quibus & animus & corpus æternum vrantur, quasi vitam subministrent flammis & pœnarum materiam. Quæ qui tacitus secum seriò cogitat, non frena inijciet cupiditatibus, & labantem reprimet dexteram, & meliore coget ire viâ? Stultum est perire malle, quàm curari.

O homines cogitate ista: res hæc nimis quàm seria est & momentosa! Non leui pretio paratur cælum.

At interim tam securè nihilominus ac liberè peccant homines, quasi Deus id

nesciat;

nescias; tam audacter, quasi non prohibeat; tam impudenter, quasi non videat. Miramur stultitiam Esau, cui lentis edulium iure primogeniti longè potius visum est. Mirari desine, quisquis ius cæli infra voluptatulam vilissimã habes, qui gloriæ hæreditatem fumo vendis & nebulâ vanissimæ laudis. Vbi generosorum voces? Malo mori, quàm peccare.

Narrat Plutarchus Lysimachum apud Getas eo siti redactum, vt se cum toto exercitu in potestatem hostium dederet. Cumque iam dedititius frigidam bibisset, dixisse: Prô me hominẽ prauum, qui tantillę voluptatis gratia tantũ amiserim regnũ! r. Quantò rectius hoc dixerit, quisquis letali se noxâ obstringit: Prô me hominẽ fatuum, & omni modo nequissimum, qui cælum breui fœdaque voluptate vendo, qui res creatas creatori præfero, qui magis vitium quam virtutẽ colo, qui mortem potius quam vitam eligo, qui perire quàm seruari malo.

O 6 Ah!

r. *Aut; Dij boni, quam ob breuem voluptatem, summam amisi felicitatem! Plutarch. parte 1. moral. l. de Sanitate tuenda.*

Ah! Auare, quantillo vendis lucello cælum ? Heu Lasciue, quantilla mutas oblectatiuncula delitias æternas? O Iracunde & Inuide, quàm rarò vestris cogitationibus interest gehenna? O potulẽte & ebriose quam iniquè tuos calices ambrosiæ & nectari præponis? Heu quantæ insaniæ est, beatâ æternitate propositâ, ob vnius propè momẽti gaudium, æternùm illâ excidere velle? Voluptas & Vindicta, Ebrietas & Crapula, omniaque vitia momento delectant, tormenta illis debita æternùm cruciant.

Quid iam miramur, quòd Deus improbos æternum puniat, cum etiam probos æternum remuneretur. Deinde, quod iam sæpius dictum, qui peccat ob volaticam voluptatulam, seipsum diabolo vendit, quid miri, si emptor ius acquirat perpetuum? Sic apertissimè Achabo regi Elias: *Inueni*, ait, *te inimicum mihi, eo quod venundatus sis, vt faceres malum in conspectu Domini*, s. Insuper & illud ex se notum, ab eo qui culpæ commissæ iungit contumaciam, augeri & pœnam.

Quando

s. 3. Reg. c. 21. vers. 20.

Quando igitur qui apud inferos torquentur, peccatis iam commissis addunt contumaciam (nihil enim pœnitentiæ vel emendationis in Orco) simul etiam augent iniuriam.

Ergo *intelligite hæc qui obliuiscimini Deum: ne quando rapiat, & non sit qui eripiat*, t. Ille ipse iudicabit qui læsus est. Ab hoc ad alium prouocatio erit vana, defensio friuola, excusatio stulta, fauores inutiles, preces steriles, patrocinium ferum, detrectatio nulla. Nam Iudex inadulabilis & incorruptus, sententia suprema & irreuocabilis, decretum æternum, æternum est supplicium.

t. *Psal. 49. vers. 22.*

CAPVT XV.

Cur vnica letalis noxa supplicio afficiatur æterno.

NEmo miratur narrantem, vnicæ scintillæ neglectu ciuitatem bene magnam incendio haustam. Vulcani vires nouimus, & ingluuiem horrendam: robustissimus & voraciissimus est; dum

pabulum habet, vorare non desinit, & vorando crescit. Omnia glutit; domos, & vrbes, & regna sorbet. Non amicos nouit, non hostes. Omnia diruit, nusquam sistit, absumit omnia. Arserunt vrbes, arsurum & Orbem ipsum credimus. Quas fauces, quem esse ventrem dicam, cui tam grande pabulum obijcitur, nec famem sedat. Non itaque miramur scintilla vrbes integras deflagrasse; miramur incendium non citius extinctum fuisse.

Eundem penè in modum, Vitam momentum esse affirmanti non aduersamur, vtique vita Æternitati comparata vix momentum appellabitur. Quòd si dicatur, ab hoc momento Æternitatem pendere, nec hoc miramur, scimus namque æternum præmium comparari non labore æterno. Nam si labor æternus foret, merces non foret æterna. Neque verò etiam miramur asseri, hoc vitæ momento posse gaudium obtineri æternum. Hoc enim non nostris, sed Christi promeritis tribuimus.

Sed quod miramur, hoc est; breuissimo

sæpe

sæpe tempore, vnico imò momento, imò cogitatione vnica supplicium æternum commereri. Actiones cum virtute coniunctæ præmium adipiscuntur æternum, ob Christi Domini promerita, quę infiniti sunt pretij: at verò qua ratione delicta nostra infinitæ sint nequitiæ, adeoque infinitum ijs supplicium debeatur, id nostram intelligentiam excedit, non assequimur hoc Theologiæ arcanũ. Quid igitur fœdæ voluptatis horula, aut pars horulæ, vel vt Tertullianus loquitur, vaporata libidinum momenta, quid habent obsecro delitescentis malitię, quę omni Æternitate satis expiari nequeat, quę sempiternis ignibus castiganda? Miramur; non capimus.

Huic quæstioni nonnihil responsum est in superioribus. Sed quia res magni momenti, & captu difficilis, eam explicatius iam trademus, explicaturi, Cur breuissimi temporis noxa supplicijs æternis vindicetur. Ita hîc Æternitatis luctuosissimæ causſam efficientem prosequemur.

§. I.

§. 1.

In ſacris Chriſtianis arcana quædam ſunt, quæ nemo ſatis intelligentia & ratione comprehenderit, horum quinque potiſſimum numeramus.

Myſteriũ ſacroſanctæ Triados: Chriſtus hominem indutus; Euchariſtiæ miraculum; Mortuorum in vitam reditus; Æternitatis ſupplicium. Quia verò hæc creditu difficilia, ideò illa ſingulariter diuina prouidentia Oraculis, Cõcilijs, Miraculis confirmauit. Noſtrum hîc eſt de ſupplicijs æternis differere, & cur ea Deus, cuius naturæ eſt miſereri, voluerit eſſe æterna.

Varia ſunt Theologorum reſponſa, *a.* Sed, cum venia illorum dixerim, an ad caput rei perueniant, neſcio. Sunt qui dicant, nec diſplicet reſponſum: Scelerati in locis infernis ſemper peccant, *b.* ideò ſemper puniuntur. Quid ergo iniqui eſt in eo

a. *Vide quid Æternitatis pars prima dicat Conſid. 2. §. 2.*

b. *Fatemur damnatorum blaſphemias, non proprièpeccatum appellari.*

in eo non desinere pœnam, qui perseuerat iniuriam.

Non displicet responsio. Imò non solùm apud inferos æternum peccant damnati, sed etiam apud nos, dum viuerent, aliquam peccandi æternitatem inuenerunt. Perpendamus hoc obsecro maturè.

Quisquis ad vsque mortem noxas iterat, in suo (sic dicam) æterno peccat, ideò in æterno Dei iustissimè punitur. Tam verè quam eleganter Gregorius: Constat nimirum, inquit, & vero verius est, nec inter beatos finem gaudiorum, nec inter damnatos finem esse tormentorum. Veritatis decretum est: *Et ibunt hi in supplicium æternum; iusti autem in vitam æternam*, c. Quia enim verum est quod promisit Christus, falsum procul dubio non erit quod minatus est Christus. Sed dixeris: Scire velim, quomodo iustum sit, vt culpa quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur? Respondet beatissimus Pontifex: Hoc rectè diceretur, si districtus iudex non corda hominum, sed

g. *Matth.* 25. *v.* 46.

sed facta pensaret. Iniqui enim ideò cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerũt. Nam voluissent vtique si potuissent sine fine viuere, vt possent sine fine peccare. Ostendunt enim quia in peccato semper viuere cupiunt, qui nunquã desinunt peccare, dum viuunt. Ad magnã ergo iustitiam iudicantis pertinet, vt nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato, *d*.

Hic velim, vnum aliquid solertissimè obseruari. Est aliqua peccati adhæsio seu circumstantia longè pessima: *Non peccasse tantum, sed cupere amplius peccare.* Hæc peccandi cupiditas inferorum supplicijs dignissima est. Siquidẽ Deus non tantũ respicit peccata quæ facta sunt, sed & cõcupiscentiam ac sitim ad facienda. Exẽplo rem monstramus.

Vir iste triginta annorum, sic ponimus, gehennæ addicitur, quia peccare non desijt. Si quinquaginta, si sexaginta aut septuaginta annis vixisset, totidem annis peccasset. Si centum, si mille annis vixisset,

d. Greg. l. 4. dial. c. 44.

vixisset, non paucioribus peccasset; si ei æterna fuisset vita, æterna fuissent & illius peccata. Quia ergo tanta, & ad peccantis animum æterna est peccandi sitis ac concupiscentia, iure merito æterna erit & peccatorum pœna. Ergo, quod Gregorius inculcat; Nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.

§. 2.

Damnati porrò noxas, quas contraxerunt, non eluunt; malitiam dum viuerent, cœptam non exuunt. Neque enim id gratiæ à Deo habent vt resipiscant. Istud autem longè horribilissimũ est, & plusquam infandum. Damnati gratia diuina omni adeò sunt spoliati, vt æternitate tota nullus eorũ dicturus sit: *Miserere mei Deus.* Tantum profectò gratiæ illorum nemo habebit. Quo sanè diabolis sunt similimi, è quibus nulla vis tormentorum vnquam exprimet, vel solas has voculas: *Peccauimus, parce.* Hinc non malè quis dixerit: In inferno meros meritissimos esse diabolos, hoc est, obstinatissimos ac desperatissimos Dei hostes, quales

les non diaboli tantùm, ſed & omnes damnati ſunt.

Quâ in re ſceleratus dum in viuis, damnatus dum in tormentis eſt, æquales ſibi ſunt, ſuis viribus neuter ab animi morte reuocare ſe poteſt. Diuino hîc opus auxilio. Quod Deus, dum viuimus, nunquam denegat, etſi millies gratiâ excidamus, ſed ſimul tamen monet: Attende tibi, nunc facio delicti gratiam, non eam facturus ſemper. Præmoneo, & paciſcor; dum animus hæret corpori, fores miſericordiæ tibi patent; ingredere. Vbi animus à corpore abierit, hæ fores obſerabuntur.

Æquiſſimè prorſus. Nam ſi damnatus decies millies, ſi vicies, aut tricies millies ac ſæpius petiſſet veniam, dum vixiſſet, repulſam non tuliſſet. Poſt exitum vitæ, non ampliùs veniæ, non auxilij, non gratiæ quidquam ſperandum.

Hæ pactiones erant, nec mille admonitiones deerant; oblatam gratiam non eſſe repudiandam, miſericordiam, dum liceret, amplectendam. Neutrum factũ; gratia effuſa, miſericordia neglecta; placuit

cuit esse miserum; libuit perire. Ergo qui pereunt, suis pereunt votis, suo se glādio jugulant: noluerunt amici esse Numinis, ex pacto nunquam erunt.

Deinde, actiones improbæ bonis aduersantur rectissima. Enimuerò his æternum præmium debetur, illis itaque supplicium æternum. Nam (quod in philosophorum scholis tritissimum) contrariorum eadem est ratio. Beatitudinis perfectio est, beatum esse sine fine: Tormentorum in Orco ratio est, sine fine esse miserum. Christus Ecclesiastes è cælo diuinissimas conciones suas omnes hoc omnino epilogo clausit: *Et ibunt hi in supplicium æternum; iusti autem in vitam æternam.* Quod Matthæus asserens: *Et factum est*, inquit, *cum consummasset Iesus sermones hos omnes*, e. En, exhortationes suas Dominus IESVS non alia signauit clausula, quam hac ipsa, de præmio ac supplicio æterno. Nimirum tam iustus est Deus, quàm misericors; amicis summum gaudium, inimicis tormentū summum decreuit.

e. *Matth. c. 25. fine, & c. 26. initio.*

§. 3.

§. 3.

Et hęc quidem congruentissimè dicuntur. Sed num à capite rem arcessimus? Ego hîc Augustini sapientissimum pronuntiatum venerabundis brachijs amplector. Vir sanctissimus ita loquitur: Factus est malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum, quod esse posset æternum, *f.* Hæc ipsissima supplicij æterni causa est, infinita cuiuscunq; letalis noxę malitia. Cùm enim Bonitas offendatur infinita, offensio infinitam exerit malitiam, quæ summum Bonum tam temerario aggressu violare audet.

Theologorum princeps Thomas Aquinas: Peccatum, inquit, nihil aliud est, quàm actus humanus malus. In omni verò letali peccato duplicem assignat malitiam. Prima est, Actus rationi eiusque regulæ dissentaneus. Altera est, iniuria Deo irrogata contemptu Dei. Atqui hæc malitia nihil aliud est quàm voluntaria à Deo auersio, quę pœnam meretur infinitam, quando Bonum abijcit infi-

f. Aug. l. 21. de Ciuit. Dei C. 12.

infinitum. Certè omnis letalis noxa cõtemptum Dei præ se fert. Exemplo rem monstramus.

Vrbis Italæ lex capitalis est: Nemo gladium, nemo pugionem gestato. Qui legis gnarus data opera nihilominus & gladio & pugione se armat, magistratum aut principem legislatorem spernit: Nõ aliter edixit Deus: Nemo furetur, Nemo mẽtiatur, Nemo adulteretur &c. At inspectante Deo hic furatur, ille mentitur, iste adulteratur, quicquid lex dicat. Nũ hoc non est contemnere Deum? Qui Cæsaris edictum violat, in Cæsarem peccat. Quisquis leges diuinas spernit, Deũ contemnit. E sacris paginis id liquet: *Anima quæ peccauerit, & contempto Domino negauerit proximo suo depositum*, g. Sic & Augustinus: Peccatũ est, inquit, spreto incommutabili bono, rebus commutabilibus adhærere.

Hinc infinita illa malitia emergit. Nam quò Maiestas quæ læditur, maior, hoc & offensio grauior est. Virum nobilem lædere, graue est; grauius, dynastam;

g. *Leuit. 5. 6. v. 2.*

ſtam; grauius, Comitem. His tamẽ multò grauius eſt læſiſſe Principem; longè grauiſſimum læſiſſe Regem aut Cęſarem. Sic gradatim itur in humanis. Quàm ergo graue ſit læſiſſe Deum infinitæ Maieſtatis dictatorem?

Hinc infinita hæc malitia vel vnicę letalis noxę, cogitationis impurę vel vnicæ, nullo actionum bonarum cumulo poteſt redimi. Nam ſi in vnâ diuinę Iuſtitiæ lâce, omnia beatiſſimæ Matris Virginis, omniumque diuorum ac cælitum promerita componantur; in alterâ noxa letalis vel vnica conijciatur, illa omnia huius vnius molem nunquam æquauerint, illa pro hac nunquam ſatisfecerint. Dictu prorſus formidabile eſt, omnium proborum hominum ſanctas actiones, vnius letalis culpæ põdere ſuperari. Hoc tamen nemo mirabitur, qui Deum Deique Maieſtatem immenſiſſimam æſtimauerit. Conditorem omnium à re conditâ contemni infandæ temeritatis facinus eſt. Diuini oris pronuntiatum nouimus: *Reus erit æterni delicti*, h.

h. *Marci c.3.v.29.*

§. 4

§. 4.

Tanta est igitur tamque infinita noxæ letalis cuiuscunque malitia, vt nullis virtutum officijs pensari possit, ni eam iudex supremus vltro condonet. Quâ in re Deus multò quàm liberalissimus, vel vni homini millies iterumque millies culpæ gratiam facit, & impunitatem cõcedit, eâ tamen lege, ne culpam repetat, aut repetitam, pœnitentiâ prius expiet, quàm in alium Orcum migret. Differt ille, & debitor obit? æterni delicti reus est, eritque semper.

Ad rem insigniter Augustinus: Qui pro aliquo grandi crimine, inquit, morte mulctatur, nunquid morâ, quâ occiditur, quæ perbreuis est, eius supplicium leges æstimant, & nõ quòd cum in sempiternum auferunt de societate viuentium? Sicut enim non efficiunt leges huius ciuitatis, vt in eam quisque reuocetur æternam secundâ morte damnatus, *i.* Si magistratus reo, in perpetuum vitam

i. Aug. l. 21. de Ciuit. C. 11. med.

adimit quam non dedit, non idem Deus iure meritissimo possit?

Quando igitur infinita noxæ letalis malitia pœnam commeretur infinitam, hæc autem non possit per intensionem infligi (vti in scolis loquuntur) per extensionem infligatur necesse est, vt scilicet quod non habet tormenti atrocitas, habeat temporis diuturnitas. *Dabit ignē & vermes in carnes eorum vt vrantur, & sentiant vsque in sempiternum.* k.

Cùm nos hæc talia meditamur, putem sic esse affectos debere, prout sunt qui plurimæ rapacitatis sibi conscii, non sine gemitu supplicium sibi debitum in alijs cernunt. Fit nonnunquam vt vir magni nominis & famę patibulum transeat, & occultis suspirijs seipsum feriat, hæc apud animum suum voluendo: En miseri isti ventis inane ludibrium, nobis triste spectaculum. etiam post mortem luunt quæ viui deliquerunt. Et quæ eorum tanta facinora? Sunt forsan ex ijs, quo[illegible]n omnia furta (quod sæpius compertum) quinque aut sex florenos

k. *Iudith. 2. 16. v. 21.*

renos non excesserint. Et tu qui aliquot florenorum millia sensim interuertisti, sanus & incolumis obambulas, tu byssinus ac holosericus incedis, honorificè salutaris, & ius in miseros dicis, patibulo præ his miseris centies dignior: hi reculas vilissimas compilarunt, & pendent; tu fortunam auream crebrius suppilasti, & triumphas. Caue; Dij laneo ac lento incedunt gressu, sed tarditatem vindictæ grauitate compensant.

Ita prorsus cogitandum cuique nostrũ cùm inferos cogitamus: Heu, quot capitalia commisi crimina, & tamen etiamnum à flammis saluus sum: quàm multi, non dubitem in Orcino barathro ardent, æternùm arsuri, qui longè pauciores quàm ego, & forsan vnicam letalem noxam contraxerunt. Diuini sol fauoris etiamnum mihi splendet, illis qui rariùs & leuiùs quàm ego deliquerunt, æterna nox incubat. Caue; tardo tacitoque pede vltio diuina inserpit. In arcto stas præcipitio, & non horres? leuissimo cades impulsu; qui diu steteras, momento rues:

torues: & quò rues? abyssus & chaos flammeum ruentem excipiet. Caue, vel digituli motus te præcipitat; vnica te febricula, grauedo aut apoplexia, *l.* punctiuncula aut glans vnica Æternitati te obijcit. Cadis amicus Numinis? excipiũt Angeli. Sin aliter? excipiunt diaboli, excipit æternus ignis.

Putat sanctus Ignatius multos in inferorum ergastulis cruciari, qui forsan vnico letali næuo se contaminarunt, siue iam periurio, siue vindictæ desiderio, seu cogitatu obscæno, siue alio loquendi, cogitandi, agendi modo deliquerint.

Cogitandum etiam seriò, damnatos, fuisse homines nobis similes, & multos eorum Christianos, qui sacramentis & concionibus, qui libris sacris & admonitionibus ad optima quæq; inuitati, forsan aliquanto tempore vitam integram piamque duxerint, familiares cum Deo: Paullatim remissius ac socordiùs agendo, in peccatum mortale prolapsi, iusto Dei iudicio æternis incendijs sint addicti.

O mor-

1. *Sideratio nernorum.*

O mortales, ponite corda vestra, clamat Aggæus vates, *ponite corda vestra super vias vestras*, m.

m. *Aggæus Cap. 1. vers. 5.*

§. 5.

Sigismundus Imperator, quod Æneas Syluius narrat, Theodoricum Colonien-sem Pontificem inter principes maximæ auctoritatis virum diuersa interrogans: Quo pacto, aiebat, ea obtinenda est felicitas, quâ quis verè dicatur felix? Cui Theodoricus: Hæc, inquit, inter mortales frustrà quæritur. Imperator iterum: Ergo, inquit, ad illam cælestem, quæ rectissima ducit via? Huic Præsul: Meo sensu, inquit, nec certior, nec tutior est, quàm sincera in rebus agendis omnibus intentio. Et qualis, inquit Imperator, in viam hanc ingressus est? Ad quæ Theodoricus: Non difficilis, ait, modò tales simus cùm sumus sani, quales nos futuros esse promisimus, cùm fuimus ægroti. Responsum ad omnia sapienter.

Et verè nulla hîc vera felicitas est; quærimus illam, nõ inuenimus. Summa

hic rerum inconſtantia; nutant & vacillant omnia; ſordet voluptas omnis ad beatam æternitatem collata. Via verò ad delitias cæleſtes rectiſſima eſt, pura in omni actione Intentio. Hanc porrò viam ingredimur, ſi noſtris ipſi promiſſis ſtemus, ſi quæ in grauibus periculis, in vehementibus morbis, in confeſſionibus ſacris promiſimus, in opus educamus, & è verbis faciamus facta.

O varium & mutabile ſemper, humanum propoſitum! Siracides clamat: *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius?* n. Poſt baptiſma mortuum tangit, qui culpam poſt lacrimas repetit. Clamat Iſaias: *Lauamini, mundi eſtote.* o. Lauamur, ſed ad ſordes breui reuertimur. Poſt lauacrum mundus eſſe negligit, quiſquis innocentiam vitæ, poſt pœnitentiam non cuſtodit. Clamat iterum Siracides: *Non alliges duplicia peccata, nec enim in vno eris immunis: non iteres verbum in oratione tua.* p. Verbum in oratione iterare, eſt, poſt lletum cõmittere, quod

n. *Eccli. c. 34. v. 30.* o. *Iſ. c. 1. vers. 16.* p. *Eccli. c. 7. v. 8. & 15.*

quod rursum necesse sit flere. Quod Gregorius confirmat his omnino verbis: Quisquis peccata plangit, nec tamen deserit, cor quidem conterit, sed humiliare contemnit, q. Ideò, inquit, admonendi sunt qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, vt considerare sollicitè sciant, quia flendo inaniter se mundant, qui viuendo se nequiter inquinant, cùm idcircò se lacrimis lauant, vt mundi ad sordes redeant. Hinc scriptum est: Canis reuersus ad suum vomitum. Et quoties Christus Dominus vnumquemque nostrum inclamat: *Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* r. Hæc audimus, & dissimulanter contemnimus. Ideò planissimè Bernardus: Irrisor est, inquit, & non verus pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet. Si ergo vis verus esse pœnitens, cessa à peccato, & noli amplius peccare. Sic plange commissa, vt non denuò committas plãgenda. Quoniam inanis est Pœnitentia, quam sequens coinquinat culpa. *f.*

q. *Greg. tom. 3. part. 3. pastoral. cura admonit. 31.*
r. *Ioan. c. 5. v. 14. f. Bern. l. de Anima c. 4.*

§. 6.

§. 6.

Hæc scimus, & verò etiam, quicquid à nobis exigitur, facturos promittimus, & nihil fit. Ah, quoties, & quanta sanctissimè spõdemus, & nihil fit; eiuramus pristinos mores amoresque obscænos, & nihil fit; vitam pollicemur emendatissimam, & nihil fit. Parturimus grandia, tandem musculus, hoc est, imbelle & frigidum opus prorepit.

Valerius narrat[1], in exercitu Xerxis, quem aduersus prouinciam cõtraxerat, equæ partu leporem effusum. Eo monstri genere tanti apparatus significatus est euentus. Nam qui mare classibus, terram pedestribus copijs operuit, vt fugax animal, pauidæ regressu regnum suum repetijt.

Tales omnino sunt nostri conatus: omnem vno die sanctimoniã combibimus, consilium suscipimus arduum, propositum haurimus sanctum, optimos mores promittimus: sed consilium non explicamus, propositum nõ preminus, cœpta

1. *Valer. l. 1. c. 6. inter externa.*

cœpta non tenemus, à destinato aberramus, à promisso resilimus, sumus quales anteà, & sæpe peiores; sic equus parit leporem, sic montes parturiunt musculũ. Standum & perseuerandum est, propositis inhærendum, bene cœpta sunt vrgenda. *Breues dies hominis sunt*, u. & tenuissimum vitæ filum subitò præscinditur. Aranearum architecturæ suum sibi spoliarium concamerantium vita nostra similis est, quarum circinatum orbem decussata paribus interuallis quaterna subtegmina diuidunt, quæ ipsa segmeta singula, vicenis intertexta filis, æqualibus vbiq; maculis scutulatum rete absoluũt, vt cum telam omnem pertexuerint, octoginta omnino internodijs plaguliſque, quod Pineda x. noster obseruatum curiosis ait, totus ille prædatoribus orbis in muscarum perniciem rotundatus implicetur. Hæc inquam vitæ nostræ Icon est, quam tamen Parcarum tenui filo deduci ægrè quidam audiunt, & poetis irascuntur, qui annos nostros

u. *Iob. cap. 14. vers. 5.* x. *Pineda in c. 27. Iob, v. 18. vbi sectiones vocat.*

ad colum examinant; cùm illis vel inuitis Dauid occinat: Anni nostri sicut aranea meditabuntur, quasi nimia in fuso & lanificio sit firmitas, vt ad aranearum texturam tota æui nostri periodus reuocari debeat. Breues dies hominis sunt, & semitam, per quam non reuertimur, ambulamus.

Interim Æternitati propinquamus omnes; nemo nostrûm procul abest ab hac metâ serius aut citiùs contingendâ. Quis scit, quot ab eâ passibus distemus? hodiernâ forsan, aut luce crastinâ tota nos circumdabit Æternitas. Quid ergo cunctamur, quid in re momenti tanti ludimus? Saluet vnusquisque animam suam. Is sapit solus, qui vnius voluptatulam momenti, non præfert beatorum Æternitati.

Cap.

CAPVT XVI.

Humanæ gentis cæcitas incredibilis, & horribilis ſtupor, tam in peccatis, quam in ſupplicijs peccati æternis expendendis.

§. 1.

QVicquid dicamus, quicquid clamemus, quicquid ſcribamus, ſiue prophetarum vaticinia, ſeu Chriſti minas & oracula, ſiue Apoſtolorum ſcripta ingeramus, magnam partem fruſtra ſumus. Surdis nænia. Clamatur, nec auditur clamor; promiſſa & minæ ingeruntur quidem, ſed ſpernuntur. Et quãuis horribiliſſima illa vox, Æternitas, Æternitas, Æternitas, millies iterumque millies inculcetur, vix quidquam tamen proficitur.

Quoties ex alto his talibus monemur verbis: *Filij ſanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam* Deus *daturus eſt his qui fidem ſuam nunquam mutant ab*

eo, a. Sequetur alia post hanc æterna vita, semper beata, voluptas immortalis & perpetua. *Nunc ergo sustinete modicum: leue & momentaneum tribulationis nostræ immensum gloriæ pondus operabitur in nobis*, b. Quod iam durum est pati, dulcissimum erit meminisse. *Quicquid igitur toleradum venit, in omni patientia & longanimitate, cum gaudio gratias agentes* Deo, c. *sustinete.*

Hæc pleraque omnia dicuntur gratis. Nec alia ferè cantilena extunditur, quàm illa Iudæorum: *Manda, remanda, manda, remanda, expecta, reexpecta, expecta, reexpecta* d. Quicquid de futuro sit, oculos & manus præsentia implent; voluptas huc illuc trahit, huic moderari difficillimum. Appetitus satiandus est quibuscunque demum impendijs. Deus benignus est & misericors, qui facilem dabit veniam delinquentibus.

Hæc illa sunt cæcorum carmina. O miseros, & ô nimium cæcos mortales! An ignoratis has voluptates vestras, quas

a. *Tob. c. 2. v. 18.* b. *2. Cor. c. 4. v. 17.* c. *Coloss. c. 1. vers. 11.* d. *Is. c. 28. v. 10.*

quas adeò sitis, esse vetitas? An non vestra vobis conscientia id quotidie concionando ingerit? an non dehortatur ratio? An non aliud diuinę leges imperant? Sed dicite, oro, an non creditis omnem in hoc Orbe voluptatem, quantumcunque diuturna videatur & suauis, momẽto stare, subitò ruere, & in ęternos luctus desinere? Omnis Mundi amœnitas Æternitati collata, nec momentum quidẽ, nec punctum est, minus nihilo est. Sed num hæc cogitatis, num creditis? Si quidem Christiano nomine censeri vultis, fatendum vobis erit, hæc vobis cogitari, hæc credi. Sed ea est, dicetis, humanæ sortis conditio, vt æternorum obliti, ad præsentia toto impetu ruamus. Hinc nęui & maculæ, hinc omnis vitiorum propago. Bona confessio, modò eam sequeretur & emendatio.

§. 2.

Sed liceat denuò quærere: Num creditis hæc vitia, vobis tam familiaria supplicijs sempiternis à Deo puniri? Credimus, aiunt. Quâ ratione igitur non solùm tam obliuiosi, sed & tam temerarij

estis,

estis, vt toties tam impudenter diuinas leges violare non vereamini? Adeò vt nec quidem formidine pœnæ peccatum oderitis: nullus gehennæ metus, nullus ignis perpetui horror, nullus amor cæli. Hinc in omnem licentiam effusi mores, hinc querula in aduersis impatientia, hinc petulans & secura in prosperis obliuio gehennæ, hinc omnes vitiorum rami. Nimirum omnis à cogitationibus vestris exulat Æternitas. Quã fortè creditis, sed reuera non expenditis. *Nullus est qui recogitet corde.* c.

Æternitas in ore est, sed in animum non descendit. Aures feriũt Æternitatis monita, non penetrant. Æternitas vix ab vllo suis momentis ponderatur. Æternitatis infinita sæcula quandoque forsan cogitamus, sed obiter: de eâ ab alijs scripta legimus, sed obiter: immensam Æternitatis sine fundo voraginem in concionibus adumbratam aspicimus, sed & hoc obiter ac perfunctoriè. Breui salubres gemitus aliarum cogitationum mole obruuntur. Sic Æternitas vix animum ingressa,

c. *Hier. c. 12. v. 11.*

ingressa, mox vanissimis cupiditatibus sepelitur. Inde omnia prioris nequitiæ blandimenta subrepunt, & animum, vt antè occupant. Ita fides nostra, quam iactamus, fides somnians, aut verius, mortua est.

Narrat illustrissimus scriptor Baronius, quod sibi testatissima fide compertum asserens: Hoc, inquit, auditione accepi, ab integerrimæ fidei viro Michaele Mercato, qui de auo suo hæc explorata retulit, quæ complurium eruditorum virorum assertione scimus firmata, & pro concione sæpius narrata. Res ita habet.

Michael Mercatus senior cum Marsilio Ficino ingenij nobilissimi viro, intima iungebatur amicitiâ, quam & paria philosophiæ studia accendebant. Vterq; horum Platonis scripta combiberat. Fuit vt ex more disceptarēt inter se, quis hominis post obitam mortē sit status, quò animus humanus migret, quæ rerum facies in Orbe altero? Atque hoc è Platonis mente deducebant Christianis oraculis confirmandum.

Sermo-

Sermone inter differendum longius progresso, ad eam vterque conuentionem descēdit, vt stipulatis dexteris alter alteri sanctè promitteret, vt qui prior naturæ concederet, superstitem de alterius vitæ ratione quàm fidelissimè; si liceret annuente Deo, redderet certiorē. Hæc pactio: & iuratum omnino in hæc verba.

Post aliquantum temporis, hi duo viri totis vrbibus disiuncti habitarunt. Cumq; Michael Mercatus summo manè ad auroram Musis amicam philosophiæ operaretur, equitem in proximā plateā ad ędium suarum ostium contento cursu properantem, simulq; Marsilij succlamantis vocem audijt: *O Michael, ô Michael, vera sunt illa, vera, verissima.* Michael ad notissimi amici voces excitus, mox à libris fenestram accurrit ac prospicit, cernitque à tergo Marsilium equo niueo vehentem, iamque reflexo itinere abeuntem. Hūc celeri voce prosecutus, Marsili, Marsili, clamabat. Sed eques candidatus moram non ferens, oculis sese subduxit. Mercatus inopinato spectaculo

culo attonitus, qui ſuo Marſilio euenisſet, anxiè cœpit indagare. Demum intellexit Marſilium Florentiæ eâ ipsâ horâ obijſſe, quâ ad ſuas ædes viſus à ſe auditusque eſſet.

Ab eo tempore Mercatus, quamuis iam anteâ vitæ integer, & commendatæ probitatis fuerit, philoſophiam, nuntio remiſſo, res ſibi ſuas habere iuſſit, ipſe in poſterum ſolius Chriſtianæ philoſophię leges ſectaturus. Ita quod reliquum vitæ habuit, ſibi iam Mundoque mortuus, ad futura ſe totum tranſtulit, Æternitatem aſſiduè meditatus, *f.*

f. Baronius tom. 5. Anno 411.

§. 3.

Attenta Æternitatis meditatio, vitæ melioris principiũ eſt. Laudatur virtus, & alget, vbi vita æterna non amatur. Decliuis & facilis ad inferos via eſt, vbi mens non aſſiduè ad beatorum vel damnatorum æternitatem cogitandam intenditur.

Hæc ſcimus, hæc credimus; interim obdormimus, & ſummum Bonum negligimus.

gligimus. Audimur quidem dicere, *O AEternitas!* At interim hilari manu pateram ſpumantem capimus, & toto nos auro proluimus, ad vſque collum ſaturi. Subinde alto gemitu Æternitatem ſuſpiramus, at interim impuris ac obſcœnis cogitationibus cor ſcatet; occultas illud libidines coquit, & furtiuis meatibus ſuo ſe Deo ſubducit. Cæleſtes theſauros appetimus, at interim terrę ſpumam, pecuniam, amiciſſimis oculis ſalutamus, & clandeſtinis ſacrificijs litamus Mammonæ. Æternos inferorum ignes videmur expaueſcere, at interim Irâ & Inuidiâ, velut Ætna ignibus, flãmigamus. Æternas ab omni labore ferias expectamus auidi, at interim adeò torpeſcimus deſidiâ, vt otium ex otio ducamus, ad omnẽ ſeriam induſtriam fracti & languidi.

O non violentos qui cælum rapiant, ſed ô cæcos, qui viâ ſpatioſâ & amœnâ malint errare, quàm aſperâ nonnihil & arctâ, iter tenere rectum.

Interim Chriſtus omneſque cælites inclamant: *Contendite intrare per angustã portam*, Contendite, Contendite: *quia multi*

multi quærent intrare, & non poterunt. g. Properate, currite; Vincendum & eluctandum eſt, Contendite. At nos nec currimus, nec properamus, nec contendimus: nos oſcitabundi lentiq́ue velut cameli ac leones pedatim *h.* gradimur, & otiosè ſequimur. Ac vtinam ſequamur, & non omnino ſubſiſtamus.

Noſtrum Velle ac ſtatuere ſimillimum eſt ægrotorũ inualidis conatibus. Æger ſubinde ſeſe erigit & lecto attollit, greſſum molitur, pedẽ ponit, ambulare tentat, mox virium defectu in lectũ recidit. Crura illius tibiæq́ue fulcra ſunt nimis imbecillia, moli corporis ſuſtentandæ. Vellet ſurgere, ſed poſſe negant vires. Vix alij ſunt conatus noſtri; ardua cogitamus, multa ſtatuimus, ſanctiora molimur, videmur velle rem bene agere. Sed vana ſunt hæc ſine virib' molimina, deeſt alacritas ſpirit', omnia peruadit lãguor. Hinc vitia potius interminſſa quam abdicata non ſine guſtu repetimus. Ita recidimus in lectulum è quo abitum parabamus, & priori obruimur veterno. Ita

Lan-

g. *Luc. c. 13. verſ. 24.* h. Fuß für Fuß.

Laudamus veteres, & nostris vtimur annis.

Diuorum res gestas euoluimus, & commendamus: nō sequimur, non imitamur. Virtutem speciosissimis titulis oneramus, non eam factis exprimimus: beatorum æternitatem inhiamus, sed molestiorem viam, quæ illuc ducit, cautissimè declinamus. Nos spectant hæc veteris Comici dicta:

Sed cùm inde suam quisq; ibant diuersi domũ, Nullus erat illo pacto, vt illi iusserant, i.

Cùm sacra concio ad finem deducta, cùm in templis peroratum est, domum itur, mensa struitur, iamque priora omnia ex interuallo non longo repetuntur. Hic noster mos est, adimus templa, cōciones audimus, quandoque ingemiscimus, peccatis indignamur, nobis ipsis irascimur. Sed hoc quamdiu? Mox hilaris obliuio sepelit omnem priorem sanctitatem. Conamur, sed languidissimè: hinc nullum prodit opus, aut mutilum. Adeoque post sexcentas conciones ijdē qui antea sumus: eadem quæ priùs iuramenta,

i. *Plautus in Rudente. Act. 4. Scen. penult.*

menta, eadem impatientia, eadem lasciuia, Inuidia & Iracundia prorsus eadem. Nihil superbiæ decessit, auaritiæ nihil; sed nec gulæ quidquam detractum est. Idem qui antè torpor, pristinæ sordes, vetera omnia.

O cæcitas humanæ gentis, nullis sat lacrimis deploranda! Ex omnibus templorum pulpitis clamatur, Æternitas, Æternitas, Æternitas. Nos nihilominus præsenti ducimur voluptate. Adeò perire suaue est.

§. 4.

Quemadmodum verò sacras conciones audimus, & negligimus; aures perfluunt dicta: k. ita sacros libellos percurrimus, & non proficimus: deserunt memoriam lecta. Quod ex oculis, itidē ex animo abit. Et quamuis æternitas iterum iterumque inculcetur, nos tamen telam, quam orsi, perteximus: probamus meliora, deteriora sequimur, pietatem induimus, sed planè desultoriā; ita priori luto mergimur.

O Christiani, respicite & leuate capita,

k. Zu einem Ohr ein/ zum andern wider auß.

pita, *& corda* veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra: *l.* oculos animumque cælo attollite. Sunt fortè iam turbata omnia & aduerſa? Non ſic & olim erit; meliora pollicetur cælum perbreui patientiâ obtinendum. Sunt fortè iam ſucceſſus proſperi, & blandiens aura? Ne fidite: nihil in hoc Orbe diuturnum: ſuis quæq; momentis fluunt tranſeuntque omnia. Æternitas durabit, ſola tranſitum ignorat Æternitas.

Hæc dicimus & ſcribimus, hæc occinimus & pingimus. Sed quis eſt qui hæc altius in animum admittat? Quis hæc probè capere, quis è ſolido conatur credere? O iterum cæci mortales, quorum tunc maximè perfunctoriæ ſunt actiones, cum Æternitatis negotium in manibus eſt, cùm de animi ſalute agitur.

Narrat eccleſiaſtes tam diſertus quam religioſus, Ludouicus Granata, *m.* qua ratione

l. *Luc. cap. 21. verſ. 28.*

m. *In tertia concione, dominica ſecunda Aduentus è Iacobo de Parad. Carthuſ. l. de peccatis mental. criminal.*

ratione insanã hanc gentis humanæ cæcitatem è numero defunctorum quispiam amico superstiti detexerit. Duo, inquit, amicitiæ amorisque sinceritate coniunctissimi erant, Theseum istum, illum Pirithoum dixisses, & vnum pænè animum in duobus corporibus. Vterq; vitæ fuit probatissimæ; vtrumque amor & nescio quod singulare pactum sic colligauerat, vt nil magis vellent quàm vnà mori. Sed Mors, illa fœderum omnium turbatrix, candidissimam hanc amicitiã dissoluit, & alterum ab altero, ex hoc in alium Orbem transtulit. Nec tamen omnis à morte amicitia dissolui potuit. Siquidem non multum temporis abijt, cũ defunctus viuo se stitit aspectabilem, sed habitu vultuq; mœstissimo, tanquam si amico copiam faceret interrogandi. Exhorruit viuus ad tam inexpectatã amici præsentiam, & spectaculo tam lugubri perterrefactus stetit. Vbi animũ resumpsit, interrogare institit, num inter beatos ageret, aut quo loco res ipsius essent? Ad quæ defunctus altum ingemiscens flebiles has voces ter clarè ingeminauit:

Nemo

Nemo credit, Nemo credit, Nemo credit. Alter iterum quamuis ore trepido quæsiuit, quidnam illud esset quod nemo crederet? Cui defunctus denuò: Nemo credit, quàm Deus rationes exactè poscat, districtè iudicet, seuerè puniat. Sub hæc verba disparuit, dum alter nouo pauore attonitus hæc secum silentio expendit.

§. 5.

O verè, ô verissimè dictum, Nemo credit, quàm accurata sint vndequaque Dei iudicia, quàm seuera ab illis supplicia. Hæc è cathedris toties promulgantur, toties illud Ioannis ingeminatur: *Agite pœnitentiam, iam enim securis ad radicē arborum posita est.* n. *Et nemo credit.* In chartis & libris æternus luctus & æterna tormentorum series toties explicatur, *Et nemo credit.* Æterna gaudia, cælestes & æternæ voluptates, nunquam desitura paradisi amœnitas quantis voluminibus commendatur? *Et nemo credit.* Plena omnia cohortationibus ad cælum violenter expugnandum, *Et heu nemo credit*, vi tantâ

n. *Matth. c. 3. v. 2. & 10. Luc. c. 3. v. 9.*

tantâ opus esse vt cælum expugnetur: *Nemo hoc credit*, aut certè tam pauci, vt Christus ingemiscens dixerit: *Et pauci inueniunt eam.* o.

Fides quâ æternam vitam prælibamus, fides somnolenta & deses est. Hinc illi, quos vocamus, heroici actus, & generosi aggressus tam rari. Hinc illud religiosissimi scriptoris oraculum: Promittit Mũdus temporalia & parua, & seruitur ei auiditate magnâ: Christus promittit summa & eterna, & tepescunt mortalium corda. Vile pretium quæritur; pro vno numismate interdũ turpiter litigatur, pro vanâ re, & paruâ promissione die noctuque fatigari non timetur. *p.* Quis pro cælo tam acer & strenuus est? Quanti vigilias suas ad abacum lusorium, ad hilares choreas, ad poculorum aciem suauissimè toleratas non sentiunt? Vbi tam hilariter vigilatur pro Christo, pro cælo, pro æternitatis præmio? Millies repetendum: *Et nemo credit.* Vbi fides viuit, & immensas cæli voluptates, perpetua

o. *Matth. c. 7. vers. 14.* p. *Thomas de Kempis l. 3. de Imit. Christi C. 3.*

Orci tormenta capit, longè alij mores, longè alia est vita; hîc oblectatiunculæ & voluptatulæ tam turpes quàm breues non sitiuntur, hîc labor in pretio est, hîc dulce ac iucundum est pati.

Franciscus Borgias dux Gandiæ ardentissimâ febri debilitatus didicit, nihil in rebus humanis stabile, nihil esse perpetuum. Cùm verò alterno & nouercali die, igni medullæ coquerentur, pia illa cogitatio mentem pupugit; ecquænam illos flammæ vrerent, qui ob flagitia apud inferos pœnas æternas penderent? Multum in hoc principe valuit ad omnem reliquam vitam hæc cogitatio. Cogitatio prorsus vtilissima si vlla, in morbo, in omnibus omnino aduersis admittenda. Ita spiritum iuuet, quod corpori nocet.

Quasi per amœna prata in carcerem peruenit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit. Et certè damnosa vanitas est longam vitam optare, & de vitâ meliore parum cogitare. Quisquis es, cum Bernardo in aurem tibi insusurro: Cogita, vnde veneris, & erubesce; Cogita

Cogita vbi sis, & ingemisce; Cogita quò vadas, & contremisce. q. Tot aliorum affectata cæcitas nemini patrocinabitur. Iam pridem moniti sumus, Angustam esse portam, & arctam viam quæ ducit ad vitam.

Via ad inferos expeditissima, Libido & Luxuria. Incipe gradi hoc tramite, & breui magnis itineribus ad Orcum non ibis, sed curres, sed volabis. Id Thomas Morus vir tam eruditus quàm sanctus affirmatissimè pronuntiauit, voluitque suis etiam scriptis inserere hoc disticho:

Si quis ad infernos properat descēdere manes,
Huc iter accelerant Balnea, Vina, Venus.

Hæc sexcenties, hæc millies audimus, & pænè fastidimus. Et quod longè deterrimum, voluptatibus æternis hilare, tametsi turpe momentum vltro præferimus, & cupimus perire. Quocirca vsque, & vsque repetendum, *Et nemo credit.*

q. *Bern. serm. de primordijs & nouissimis nostris.*

Caput XVII.

Compendium dictorum & Epilogus.

CErtum, nullius hominis linguâ cruciatus inferorum vel leuiter adumbrari, nedum explicari aut exaggerari posse. Ab ore ad aures hæc monita pertingunt, sed animum plerunque nõ vulnerant.

Flamma picta & vera nimium quantum differunt, hæc tamen quandoque sibi simillima sunt: dolores nostri cum cruciatibus hominũ damnatorum collati, heu quàm nihil habent similitudinis, siquidem finiti ad infinitum nulla est proportio.

Certum est & illud, de plurimis Christianorum verissimè dici, eos nequaquã seriò credere, apud inferos puniri sontes, alioquin indubiè aliter victuros. Eò dictum Domini collineat: *Filius hominis veniens,*

veniens, putas, inueniet fidem in terra?a. De ceteris non minus verè dici poterit, eos de inferorum tormentis aut nunquam, aut rarò cogitare; & quidem cogitare solùm, non inhærere huic cogitationi, non perpendere hæc tristia, non ea imaginationi imprimere: aut certè altiorem paullò cogitationem, velut salutarem flammam, curarum ac negotiorum mole obruere & ita cæcum ac surdum ad inferos descendere: omnes enim qui eò deueniũt, cæci & surdi sunt, *b.* vti Hierosolymęus ciuis, Lazari interfector, tunc primum oculos aperuit, cùm iam extra viam fuit. Sed vt dicta in compendium conferamus, Nouemplex Æternitatis luctuosæ tormẽtum statuimus: singulorum hîc denuò monere, consultum ducimus.

a. *Luc.c.*18.*v.*8. b. *Diximus superiori capite.*

Primum Tenebræ.

Psaltes Hebræus: *Dies*, inquit, *diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* c. Quis iam impijs persuadeat, eos errare;

c. *Psalm.*18.*vers.*3.

errare, & impiè agere? Optimos vitæ dies inanijs & vanitatibus frangunt. Sed illis hoc demum persuadebunt Auernales tenebræ, æterna nox; scientiam nox indicabit nocti. Quemadmodum dies felicitatis perpetuæ ostensurus est beatis, quàm opportunè hos vitæ dies sanctis actionibus expenderint: ita nox illa horribilis, sempiternâ noctem deteget, quâ inter vitia iam ducunt improbi, breui æterna nocte sepeliendi.

O nox, ô tenebræ! Hac nocte, his tenebris latrat conscientiæ canis, fauor humanus dormit, voluptas omnis iam euanuit, nil fulget auri, nec splendent abaci, silent amici, absunt medici, terrent vmbræ, inuoluunt flammæ, concluſit Æternitas. O nox, ô tenebræ!

Videte mihi mercatores duos diuites, adultâ iam nocte latrunculis ludentes. d Hîc tabula lusoria, in quâ rex, regina, gemini tam cursores, quàm elephantes & saltatores cum sedecim rusticis, vniuersè triginta duo calculi. In mensa, proximè lusoriam tabulam peruigilat lumen, & hoc

d Im Schach spilen.

hoc latrunculorum prælium accendit. Feruet opus, ardent luſores, demum in vltimum punctum pænè omnè aurum ponitur. Alter euadit victor, aufert aureos. Victus abit fremens frendensque: Et ô fortuna, inquit, nequiſſima, ô latrones! quis meum mihi aurum reddet? Ita domum redit, ſtomachatur, furit, queritur, familiam turbat, famulos exagitat, euertit omnia. Ita noctem vix ſui compos tranſigit.

Tabula hæc luſoria eſt vita humana, cui lumen rationis non deeſt; varij vitæ ſtatus diuerſæque dignitates ſunt latrũculi. Sur[illegible]ges ac reginæ, ſunt proceres & optimates, plebs vrbana & pagana, honorum & opum maxima diuerſitas. Qui his peritè ſcit vti, vincit; ignar[illegible] vincitur. Inde nox vna, ſed perpetua; inde tenebræ nullis radijs colluſtrandæ; inde deſperatio ſempiterna: Non videbunt lumen in æternum. O nox, ô tenebræ!

Alterum, Fletus.

Angelus, tanquam cæli Prætor vociferatur iam olim: *Quãtum glorificauit ſe*

& in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. e. Tartarum luctui destinatissima domus. Hîc fletur siccis lacrimis, nil tamen doloris egeritur flendo.

O mortales, quid nummos perditos, quid charorum funera, quid iniqua tẽpora deflemus? sterilis hęc flendi materia est: nec mala sunt ista, nisi malis. Hîc illud Christi vsurpandum: *Nolite flere super me, sed super vos ipsos flete.* A conspectu Dei æternùm abijci, hoc ploratu dignissimũ, hoc nullo lacrimarum mari sat poterit defleri.

Prophetas omnes eorumque vaticinia cõsiderate: Mala passim ingentia denuntiant, calamitates maximas prædicunt. Repentè stylum vertunt. Subitò videntur omnia in integrum restituta, loco esse optimo. Hinc illæ solatiorum promulsides: *Et fluent colles lacte & melle. Apprehendet messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem, & comedetis panem vestrum in saturitate.* f. Ita post tẽpestates & procellas subita sese infundit serenitas. Caussa est in aperto. Nullum in hoc

e. *Apoc.c.18.v.7.* f. *Leuit.c.26.v.5.*

in hoc Orbe tam insanabile vulnus, cui Deus non possit malagma imponere, *g.* nullum tam grãde malum quod suo destituatur seu remèdio, seu solatio. Tobias pauper & cæcus sed patiens & piscis felle curatus; Naaman leprosus, sed opulentus & Iordanis aquâ sanatus. Thessalia veneni quidem ferax, sed & Alexipharmacis *h.* destituta non est. Insulæ Philippinæ vites non habent, sed habent palmas, quæ liquorem vinò nobiliorem ferunt. A lignis egena est Italia, sed hiemem habet mitiorem, & fructibus abundat.

Ita Deus Adamo Christum, Christi genitricem Euæ, delicto gratiam, transgressioni obèdientiam, morti vitam opposuit. Nullum hîc vlcus tam fœdum & hians, quin suum sibi emplastrum meniat; nulla tã miserabilis clades, quæ nõ & sanabilis sit. At verò in luctuosâ æternitate illâ, insanabilia sunt omnia; plurima illic vlcera, sed nullum illic emplastrum, cataplasma nullum est; malum

g. Man findet Pflaster für allerley Schaden
h. Gifft Artzeney.

ſummum, malum æternum, immedicabile.

M. Marcellus captis Syracuſis, florentiſſimæ vrbis miſeratione motus illacrimauit. Non lacrimas ſed ſanguinem ſtillent ex oculis damnati, cũ ſeipſum quiſque aſpiciet totius Æternitatis captiuũ. Hîc lacrimis ſanguineis, non tamen profuturis, hîc fletui acerbiſſimo locus eſt. Verè ibi erit fletus, ſed fletus ſolatium ibi nullum erit.

Tertium, Fames.

Ergo exercentur pœnis, veterumq; malorum
Supplicia expendunt ——— i.

Nimium lautè prandèrunt improbi, ideò tam miſerè ac ſiccè iam cenant. Edendi ac bibendi libidinem non continuerunt, hinc varia gulæ flagitia, hinc frequens ebrietas & ingens vitiorum agmen, quod ebrietatem comitari aſſolet. Non edebant vt viuerent, ſed viuebant vt ederent. Quorum animus in patinis vixit, quibus vitæ modulus culina fuit. De his diſertè Auguſtinus: Nam cũ ideò,

i. *Virgil. l. 6. Æneid. ante finem.*

ideò, inquit, manducent vt viuant ideò ſe putant viuere, vt manducent. Iſtos omnis ſapiens reprehendit, & maximè diuina ſcriptura edaces, ebrioſos, helluones, quorum Deus venter eſt. Hos ad menſam non adducit niſi concupiſcentia carnis, non indigentia refectionis. Itaq; iſti cadunt in eſcam & potum. *k.* O homines qui beatitudinem & felicitatem in menſa tanquam pecus in præſepi conſtituunt. Edunt, bibunt, vomunt. Iam demum eſuriunt, iam ſitiunt, iam crapulã lauunt. Sed nec minimum famis aut ſitis ſolatium reperiunt. Samaritana aut Saguntina fames apud inferos in delitijs eſſent: illic crudelius eſuritur & ſititur. Aquæ guttula in voto eſt, ſed & guttula negatur. Hæc gulę ſunt ſupplicia: ita ſuauitas voluptatis exiguæ, dolore cruciatur æterno.

Decoctor iuuenis & patrimonij ſui gurges Albidius, re omni per gulam abſumptâ & comeſtâ, domum præ deſperatione incendit. Vbi hoc Cato vidit: O te religioſum iuuenem, inquit, qui tã-

k. Aug. tom. 10. ſerm. 63. de diuerſis. c. 14.

liberaliter *Proteruiam facis*! Mos erat in hoc *Proteruiæ* ſacro, vt quod homines ex epulis non abſumpſiſſent, Deus claudus Mulciber deuoraret. *l.*

Tot damnata ad Orcum capita planè Proteruiam fecerunt. turpiſſimi decoctores omnium bonorum. Diuinâ lege ſpretâ epulis ac vino proteruè prorſus indulſerunt: iam nõ ſolùm ipſorum domus, ſed & ipſi ardent, arſuri æternum. Hoc planè eſt Proteruiam feciſſe.

Huc illa priſci Patris referri poterunt. Ibi nulla vox, niſi gemitus: nulla requies, ſed ardor continuus; ibi nullum in flammâ refrigerium, ſed ignis perpetui continuum incendium. Ibi lux nunquam videbitur, ibi tenebris nunquam carebitur: ibi nulla eſt in bono eorum memoria, ſed obliuio Dei ipſorum æterna. *Quorum cibus, eorum cruciatus*, quorum mãſio non Abrahæ, ſed Satanæ ſinus. Emenda dum potes, ad Deum clama dum tẽpus habes; dum ſpatium datur luge, dũ licentia tribuitur, pœnitere non protrahe. *m.*

l. *Macrob. l. 2. Saturn. C. 2.* m. *Auguſtini, ſi tamen Auguſtini, tom. 10. ſerm. 63. ad fratres.*

Quartum,

Quartum, Fœtor.

Ne quid ſcilicet deſit ad totius hominis omnigenos cruciatus, ſuum etiam naribus opobalſamum ingeretur, fœtoris extremi peſtis. Sunt inter homines quibus paupertas & pauperes horrendũ fœteant: Sunt quorum cum Catullo votum eſt in narium delitijs naſum fieri. Hi obſecro prælibent quinam in illa Mundi cloacâ ſoleant odores incendi.

Et quid miramur Æternitatis carcerem fœtere? hædorum & hircorum ſtabulum eſt. Hoc illi nomen ab Orbis iudice habent. Chriſtus de ſeipſo: *Statuet oues quidem*, ait, *à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris.* n. Hæ pecudes nec piſcem olent nec florem. o. Ad haras ſpectant, & ad Augiæ ſtabulum, procul à cæli delitijs, procul, & hircos, & porcos. *In illam beatorum domum, non intrabit aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens.* p. Immundus ille hircorum grex, tantò tunc

n. *Matth cap. 25. verſ. 33.* o. *Tithymalus, & piſcis & flos eſt odoris gratiſſimi: hinc adagio.*
p. *Apoc. cap. 21. verſ. 27.*

liberaliter *Proteruiam facis*! Mos erat in hoc *Proteruiæ* ſacro, vt quod homines ex epulis non abſumpſiſſent, Deus claudus Mulciber deuoraret. *l.*

Tot damnata ad Orcum capita planè Proteruiam fecerunt. turpiſſimi decoctores omnium bonorum. Diuinâ lege ſpretâ epulis ac vino proteruè prorſus indulſerunt: iam nõ ſolùm ipſorum domus, ſed & ipſi ardent, arſuri æternum. Hoc planè eſt Proteruiam feciſſe.

Huc illa priſci Patris referri poterunt. Ibi nulla vox, niſi gemitus: nulla requies, ſed ardor continuus; ibi nullum in flammâ refrigerium, ſed ignis perpetui continuum incendium. Ibi lux nunquam videbitur, ibi tenebris nunquam carebitur: ibi nulla eſt in bono eorum memoria, ſed obliuio Dei ipſorum æterna. *Quorum cibus, eorum cruciatus*, quorum mãſio non Abrahæ, ſed Satanæ ſinus. Emenda dum potes, ad Deum clama dum tẽpus habes; dum ſpatium datur luge, dũ licentia tribuitur, pœnitere non protrahe. *m.*

l. *Macrob. l. 2. Saturn. C. 2.* m. *Auguſtini, ſi tamen Auguſtini, tom. 10. ſerm. 63. ad fratres.*

Quartum,

Quartum, Fœtor.

Ne quid ſcilicet deſit ad totius hominis omnigenos cruciatus, ſuum etiam naribus opobalſamum ingeretur, fœtoris extremi peſtis. Sunt inter homines quibus paupertas & pauperes horrendũ fœteant: Sunt quorum cum Catullo votum eſt in narium delitijs naſum fieri. Hi obſecro prælibent quinam in illa Mundi cloacâ ſoleant odores incendi.

Et quid miramur Æternitatis carcerem fœtere? hædorum & hircorum ſtabulum eſt. Hoc illi nomen ab Orbis iudice habent. Chriſtus de ſeipſo: *Statuet oues quidem*, ait, *à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris.* n. Hæ pecudes nec piſcem olent nec florem. *o.* Ad haras ſpectant, & ad Augiæ ſtabulum, procul à cæli delitijs, procul, & hircos, & porcos. *In illam beatorum domum, non intrabit aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens.* p. Immundus ille hircorum grex, tantò tunc

n. *Matth cap. 25. verſ. 33.* o. *Tithymalus, & piſcis & flos eſt odoris gratiſſimi. hinc adagio.*
p. *Apoc. cap. 21. verſ. 27.*

grauius fœtebit, quantò nunc immoderatiùs illecebras odoris quæsijt.

Suauiorum odorum alij gulam, alij libidinem irritant. Horũ appetitus præsertim vehemens incontinentiæ notam subit. Et plerumque, vt summatim dicamus, huius generis oblectamenta, quæ auribus, oculis, naribus percipiuntur, vel leuia, vel fœda sunt. Parêre sensui, & inhiare voluptati, aut insane, aut obscœnũ est, maximè si absit modus.

Odores & vnguenta non paucis damno, imò & exitio fuere. Muleasses rex Tunetorum regni recuperandi causa in filium Amidam pugnauit. Cùm autem ex infelici pugnâ fugeret cruore & pulueribus fœdatus, ex solo vnguentorum odore agnitus, & è fugâ reprehensus est. Iam capto filius vtramque pupillam candenti scapello rimatus diem abstulit.

Vespasianum Imperatorem iuuenis, vt erat vnguentis illitus, gratias acturus, adierat. Odore mox hausto Cæsar stomachatus, acri supercilio & voce asperâ: Mallem, inquit, oboluisses allium. Sic increpitum

erepitum sine honore, resciſſis etiam gratiæ iam conceſſæ litteris dimiſit.

C. Plotinus Plancus à triumuiris proſcriptus, mortis metu Salernitanis latebris abditus, *q.* vnguenti odore proditus, ſibi quidem perniciem, ſuis autem proſcriptoribus exeuſationem ſæuitiæ quæſiuit. Ita ſemper dedecori ſunt huiuſmodi odores, aut etiam damno.

Hoc ſciamus. Hæc etiam quæ minuta credimus, diuinus oculus obſeruat. Erit ergo, quod Iſaias prædixit, *pro ſuaui odore fœtor.* r. Hîc Michææ monitum inſtillo: Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid dominus requirat à te: *Vtique facere iudicium, & diligere miſericordiã, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo.* ſ.

q. *L. Plotius dicitur à Plinio l. 2. hiſt. nat. cap. 3. Valer. l. 6. c. 8*

r. *Iſa. c. 3. v. 24.* ſ. *Mich. c. 6. v. 8.*

Quintum, Ignis.

De hoc igne inſigniter, & ſingulari neruo Iſidorus Peluſiota: Scire debes, bone vir, inquit, quòd nemo latebit illuſtriſſimum illum ac peruigilem oculum, ne qui-

ne quidem si in occultissimis penetralibus aliquid patraris. Aperta enim & nuda ipsi sunt omnia, quantumuis operta & abdita esse videantur. Quamobrem etiam peccantes neque respicientes excipient fluuij quidam perpetui, ignem terribilem ebullientes, quorum flumina nihil sunt aliud quàm flammæ ad supplicium fluctuantes. Metuamus igitur diuinum Numen. t. Christianus vates Prudentius de hoc incendio illud canebat:

Vermibus & flammis, summis cruciatibus æuum
Immortale dedit, senio ne flama periret. u.

Heu ignis quem nulli lustrorum tractus, quem nulla, vt Nazianzenus loquitur, sæculorum innumerabilitas extinguet! Quocunque te verteris, sunt omnia Ignis, Pix, Sulfur, Ira & Indignatio Domini. Inter ignes etiam nostros plurimum est discriminis. Ignis fulminis multò est actuosior quàm vulgaris. Sed vtroque longè potentior est ignis Auernalis,

t. *Isidor. l. 4. epist. ep. 47.* u. *Prudent. contra Marcionitas.*

nalis, deuorans, sempiternus. Nunc quæro cum Isaiâ: *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis.* x.

Illud igneum salis mare, y. tametsi noctes atque dies ferueat, habet tamen suos per annum intercalares dies, quibus restincto incendio interquiescat. Apud inferos centum elabentur anni; mille decem millia annorum trāsigentur, at nec vnicus quidem dabitur intercalaris dies. Hinc optimè dixit Augustinus: Qui sanā considerationem habet, qui credit Dei verbis, metuit plus ignem æternum quā cuiuslibet truculenti barbari ferrum: plus metuit mortem perpetuam morte qualibet hîc pessima. z.

Quot igitur horas, vel quot dies, quot menses, aut annos in igne hoc permanebunt perduelles Dei? Nec horæ, nec dies, nec anni numerari possunt, quantouis numero collecto. Æternæ erunt horæ, æterni dies & mēses, æterni anni,

x. *Is. c. 33. v. 14.* y. Salzpfann.

z. *Aug. tom. 9. tract. 5. de Tempore Barbarico, circa med.*

anni, ignis æternus. *Nunquid igitur in æternum proijciet Deus?* Proijciet in æternum. *a.* Nam, Triumphator in Israel nõ parcet, & pœnitudine non flectetur. *b.* Hæc qui pauet, cauet, inquit Bernardus, qui negligit, excidit. *c.* Hinc priſci ac religioſi ſcriptoris ſapientiſſimum eſt conſilium; Memoria æterni ignis tecum ſingulis noctibus dormiat. *d.*

a. Pſal. 76. Verſ. 8. b. 1. Reg. c. 15. v. 29. c. Bern. ſerm. de Conuerſ. ad Clericos.
d. Climacus gradu 7. pag. 116. poſt med.

Sextum, Vermis Conſcientiæ.

Mala conſcientia vel vnius diculæ, heu quanta crux! quis erit dolor ſi ſit æterna crux? Damnatorum conſcientia vndique vulnerata, hinc afflictiſſima ſemper & deſperatiſſima, nullo vnquam ſolatiolo mulcenda. De laniena tam exulceratæ conſcientiæ Bernardus egregiè: Nullus, inquit, de tantâ numeroſitate ſpectantium moleſtior oculus, ſuo cuiuſque. Non eſt aſpectus ſiue in

cælo,

cælo, siue in terrâ, quem tenebrosa conscientia effugere magis velit, minus possit. Non latent tenebræ vel seipsas. Se vident, quæ aliud non vident. Opera tenebrarum sequuntur illas, nec est quo se abscondant ab illis, nec in tenebris quidem. Hîc est vermis, qui non moritur, memoria præteritorum. Semel iniectus vel potius innatus per peccatum, hæsit firmiter, nequaquam deinceps auellendus. Nec cessat rodere conscientiam, eaque pastus, escâ vtique inconsumptibili perpetuat vitam. Experiri erit hoc vocem illius, Arguam te, & statuam contra faciem tuam. *e.*

Apud inferos nulla sunt horologia, nulla regẽdis horologijs sidera, nulli fasti aut Kalendaria. *f.* Nullæ illic temporum vices distinguuntur. Ecclesiastes asserit: *Nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erũt apud inferos, quò tu properas.* g. Hîc vnicum conscientiæ horologium auditur, sed turbatissimum.

Ægroto,

e. Bern. l. 5. de Consid. c. 12. f. Sie wissen nit wie sie drinn seyn. g. *Eccles. c. 9. v. 10.*

Ægroto, qui nihil somni possit capere, molestissimum est, nullum audire horologium, nec posse noctis periodos discernere. Hinc vnicus ei quadrâs pro horâ, hora vnica pro nocte totâ est. Et tamen vbi sex septémue horulæ abierint, auiculæ cantillando salutant auroram, sol paullatim è quotidiano suo tumulo emergit, æstus remittit, somnulus plerunque adrepit; omnia quę ad noctis aduentum exasperabantur, iam fiunt mitiora: breuî aderunt quæsituri, qui valeat, nec verbis tantùm, sed & fomentis alijs recreaturi ægrotum. Nihil horum, ô Deus, apud inferos est, nihil diei aut solis, nil somni aut roris, aurora nulla, nullæ auiculæ nisi dæmones, fomenta nulla, nec aquæ guttula: perpetuæ illic tenebræ, dolores æterni, laniena conscię-tiæ nunquam desitura.

Verè ex multis centenis millibus hominum vix vllus est, qui hæc recogitet corde, qui tam seria conetur penetrare. Vita longè foret alia, alij profectò mores, si aliæ essent nostræ cogitationes. Ita conscientia vitijs exsurdata, in torme̅tis

sensum

ſenſum recipit, quem in ſcelerũ tumultu amiſerat, tantò iam afflictior & deſperatior, quantò anteà ſomnolentior fuit & ſecurior. Auguſtini vox eſt: In inferno erit pœnitentia, ſed ſera. Vermis eorum non morietur.

Septimum, Societas & Locus.

Domus commoda, & mali vicini, magnum malum: Incommoda domus, & vicini peſſimi, malum maximum. Hæc habitandi ratio eſt apud inferos. *Sepulchra eorum, domus illorum in æternum.* h. Ardebũt damnati velut ſepulchris clauſi. Domus planè incommodiſſimæ, nec alias licebit conducere. Accedunt vicini longè deterrimi, qui vel ipſum cælum infament & exoſum reddant, grex damnatorum hominum & diabolorum. O quales vicini! De his illud Domini pronuntiem: *Bonum erat eis ſi nati non fuiſſent homines illi:* i. Bonum erat eis ſi creati nõ fuiſſent ſpiritus illi. Homines damnatos aſpice: *Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet*

h. *Pſal.* 48. *verſ.* 12. i. *Matth. c.* 26. *v.* 24.

depaſcet eos. k. Sed quomodo ſunt iam oues, an non, dum viuerent, fuerunt tigrides, porci, vultures, lupi, leones? Fuerunt certè, ſed vltio diuina eos reddidit oues, & ita manſuefecit, vt nullis doloribus, nulli malo poſſint reſiſtere; *mors depaſcet eos.* Nam velut ouiculæ gramina depaſcentes, non ea radicitus conuellunt, ſed attondent, vt radice ſalùâ, recreſcat herba, iterum, iterumque depaſcenda, ita illos inferorum reos depaſcit mors; non eis adimit vitam, vt in aliam atque aliam ſemperque; nouam reſeruentur lanienam. Atque hæc eſt mors altera ſemper victura, de quâ Auguſtinus: Eorum, inquit, qui non pertinent ad iſtam ciuitatem, erit è contrario miſeria ſempiterna, quæ etiã ſecunda mors dicitur: quia nec anima ibi viuere dicenda eſt, quæ à vitâ Dei alienata erit; nec corpus, quod æternis doloribus ſubiacebit. Ac per hoc ideò durior mors iſta ſecunda mors erit, quia finiri morte non poterit. Ibi & dolor permanet vt affligat: & natura perdurat, vt ſentiat: quia vtrum-

k. *Pſal.* 48. *Verſ.* 15.

vtrumque ideò non deficit, ne pœna deficiat. *l.*

Hinc locus damnatorum rectissimè domus doloris & omnigeni luctus appellatur. Bernardus in profundissimam hanc domum gemitus emittens: O regio dura & grauis, inquit, regio extimescenda, regio fugienda: terra obliuionis, terra afflictionis, terra miseriarũ, in quâ nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Locus lętifer, in quo ignis ardens, vbi frigus rigẽs, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ palpabiles, confusio peccatorum. Totus tremo atque horreo ad memoriã istius regionis, & concussa sunt omnia ossa mea. *m.*

Hîc ego Solonem pænè imiter, qui grauiùs mœrẽtem ciuem in editam turrim euocauit iussitq; per subiectæ vrbis ædificia circumferre oculos, addiditque: Cogita, quantus iam olim sub his tectis fuerit, quantus hodieque sit, & multis pòst

l. *Aug. l. 19. de Ciuit. Dei c. 28. & vlt.*

m. *Serm. de quinque regionibus & quinque negotiat. qui Bernardo tribuitur.*

depaſcet eos. k. Sed quomodo ſunt iam oues, an non, dum viuerent, fuerunt tigrides, porci, vultures, lupi, leones? Fuerunt certè, ſed vltio diuina eos reddidit oues, & ita manſuefecit, vt nullis doloribus, nulli malo poſſint reſiſtere; *mors depaſcet eos.* Nam velut ouiculæ gramina depaſcentes, non ea radicitus conuellunt, ſed attondent, vt radice ſaluâ, recreſcat herba, iterum, iterumque depaſcenda, ita illos inferorum reos depaſcit mors; non eis adimit vitam, vt in aliam atque aliam ſemperque; nouam reſeruentur lanienam. Atque hæc eſt mors altera ſemper victura, de quâ Auguſtinus: Eorum, inquit, qui non pertinent ad iſtam ciuitatem, erit è contrario miſeria ſempiterna, quæ etiã ſecunda mors dicitur: quia nec anima ibi viuere dicenda eſt, quæ à vitâ Dei alienata erit; nec corpus, quod æternis doloribus ſubiacebit. Ac per hoc ideò durior mors iſta ſecunda mors erit, quia finiri morte non poterit. Ibi & dolor permanet vt affligat: & natura perdurat, vt ſentiat: quia vtrum-

k. *Pſal.* 48. *Verſ.* 15.

vtrumque ideò non deficit, ne pœna deficiat. *l.*

Hinc locus damnatorum rectissimè domus doloris & omnigeni luctus appellatur. Bernardus in profundissimam hanc domum gemitus emittens: O regio dura & grauis, inquit, regio extimescenda, regio fugienda: terra obliuionis, terra afflictionis, terra miseriarũ, in quâ nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Locus letifer, in quo ignis ardens, vbi frigus rigẽs, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, mallei percutientes, tenebræ palpabiles, confusio peccatorum. Totus tremo atque horreo ad memoriã istius regionis, & concussa sunt omnia ossa mea. *m.*

Hîc ego Solonem pænè imiter, qui grauiùs mœrẽtem ciuem in editam turrim euocauit iussitq; per subiectæ vrbis ædificia circumferre oculos, addiditque: Cogita, quantus iam olim sub his tectis fuerit, quantus hodieque sit, & multis pòst

l. *Aug. l. 19. de Ciuit. Dei c. 28. & vlt.*

m. *Serm. de quinque regionibus & quinque negotiat. qui Bernardo tribuitur.*

pòst sæculis futurus sit luctus, & mitte mortalium mala tanquam tua deflere. Vix ego aliter: Videte, mortales, & considerate formidabile luctus spelæum inferos. ô quanta sub hoc Æternitatis, antro delitescit comploratio! quanta infinitis pòst sæculis sine vllo sæculorũ exitu congeries malorum hîc futura! Desinite ergo morsiũculas vestras vt mala maxima deplorare. Hîc verissimum est omnium miseriarum receptaculum; hęc luctus officina. Quisquis etiamnum viator es, caue, & iter tuum sic moderare, ne iste tormentorum locus, æternum tibi obtingat diuersorium.

Octauum, Desperatio.

Varias omnino clades hic Orbis noster continet, sed demum omnes suum quæque finem sortiuntur. Video paupertate pressos, sed video paupertatis & finem. Video calumnijs exagitatos, sed video & calumniarum finem. Video in grauissimis morbis decumbentes, sed video & finem morborum. Video verbera, video fidiculas: video & mẽbris singu-

singulis parata machinamenta. Sunt istic hostes cruenti, ciues superbi, domini auari, sed video, quod ab his omnibus liberet, mortis imperium. Video quosdam cruciatibus & tormentis immanibus affectos, sed video & finem tormentorum mortem.

At verò in flammeis diabolorum caueis video quidem supplicia horrenda, infanda; sed non video vllum supplicio-rum finem, non video vsquam pœnarum terminum mortem. Hîc nullus, nullus finis. Mors optimum naturæ inuentum, Mors omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum, de nullis melius merita quàm de his ad quos venit, antequam inuocaretur. Mors seruitutem inuito etiam domino remittit, mors captiuorum catenas leuat, Mors è carcere educit, quos exire imperium impotens vetuerat; contra omnes iniurias vitæ, beneficium Mortis est. Sed hoc, heu, apud inferos non est. Per omnia inferorum latibula circumspicio, sed mortem nullam video. Imò verò video mortem, sed viuacissimam, & agnatis sibi

doloribus pleniſſimam. Apud inferos, ſicut nullus lugendi & dolendi, ſic nullus moriendi finis eſt. Damnati ipſi, vt Dionyſius notat, ſic calculum ponunt: Elapſis decem millibus annorum, adijcientur centum millia, poſt hæc centum millia, tot iungentur myriades, & milliones quot in firmamento ſunt ſtellæ, & in littore maris arenæ. Poſt quæ longiſſima annorum ſpatia, quaſi nihil de pœnis noſtris acciſum eſſet, ſic iterum ab initio pati tormenta incipiemus: atque ita ſine interruptione, ſine fine, ſine modo voluetur aſſiduè noſtrorum tormentorum rota. *n*.

Atque hinc deſperatio multò quàm acerbiſſima. Hæc tam intelligentiam quã voluntatem ac memoriam diriſſimè torquebit. Quicquid memoria ſecum reuoluerit, affliget; quicquid cogitauerit intellectus, in tormẽtum cogitantis vertet; voluntas ipſamet obſtinationem ſuam ſtupebit, neq; enim vnquam velle poterit quod Deus ita ſemper ſuæ malignitatis in ſeipſa pœnam reperiet. Et quàm

n. Dionyſ. Carthuſ. in Speculo amatorum Mundi.

quàm horrendum est, scire, Deum sibi æternum fore inimicum, seueriſſimas eius manus se nunquam euaſurum, ſub eius pedibus perpetuò calcandum. Hinc iugis ac deſperatiſſima rabies, hinc ſummum Dei odium orietur. *Omnis dolor irruet ſuper eos.* o. *Mala omnia ſuper eos congregabuntur.* p.

O miſerrimi noctis inquilini, voluptates veſtræ euanuerunt, & vt Ioannes Apoſtolus loquitur, *poma deſiderij animæ veſtræ diſceſſerunt à vobis, & omnia pinguia & præclara perierunt à vobis.* q. Iam ſola ſupereſt deſperatio. Spes omnis iam decollauit. Vocabitis mortem, & non veniet. Eum ingreſſi eſtis carcerem, è quo mors nulla vos vnquam educet. Iam ſola ſupereſt deſperatio. Meminiſtis quàm auidè, velut vrſi, mel voluptatis ſectaremini. Mel omne euanuit, iam vobis inhæret apum aculeus, æternùm inhæſurus. Iamq; ſola ſupereſt deſperatio. Hoc nimirum voluiſtis, centies ſexcenties

o. *Iob. cap. 20. verſ. 22.* p. *Deut. cap. 32. verſ. 23.*
q. *Apoc. cap. 18. verſ. 14.*

moniti, hoc ipsi vobis malum accersij-stis; habete vt nacti.

Vltima omnium malorum æterna desperatio.

Nonum, Æternitas.

Loquantur omnes Angeli, nunquam tamen satis explicauerint pœnarum apud inferos Æternitatem. Quid enim est Infernus? Tormentum absque omni dolorum intercapedine sempiternum, summum. Priora octo tormenta quantumuis acerbissima, valde tamen tolerabilia essent dicenda, si ea vel multis annorum millibus forent toleranda. Sed cùm æterna sint, heu, inexplicabilia, & multò magis intolerabilia sunt, & tamen æternum toleranda. Cogito, inquit priscus Theologus, mille annos, cogito millies mille annos, cogito tot annorum millia, quot sunt momenta seu puncta in toto tempore à condito Mundo, vsque ad eius consummationē, & de Æternitate nihil adhuc habeo. r. Labo-

3. *Adamus Sasbout, Hom. Domin. 1. quadrag.*

Laborabunt in æternum, & viuent adhuc in finem. *ſ.*

Et hæc dolorum æternitas ſingulare ſupplicium eſt. Damnati namque non ſolùm pœnam præſentem patiuntur, ſed cùm certò ſciant eam fore æternã, velut totius Æternitatis immẽſum, in æſtimabile pondus ſuſtinent, & modò patiuntur, quod in omnem æternitatem paſſuri ſunt.

Atque hæc cauſſa eſt cur plurimi ſanctorum hominum ad aſperrimam vitæ rationem ſeipſos vltrò damnarint dum viuerent, vt illam ſcilicet pœnarum æternitatem effugerent. Ebrios facit Æternitatis meditatio, veluti muſtum. Sanctiſſimi quique plurima fecerunt Æternitatis intuitu, quæ videri poterant hominum ebriorum deliria. Poterat de illis dici: *Muſto pleni ſunt iſti.* t. Erant certè; ſed muſto quod eis propinauit Æternitas. Quanti eorum in ſolitudines ſeſe abdiderunt, in vepres & ſpinas abiecerunt, aquis gelidiſſimis merſerunt, niues nudo corpore

ſ. *Pſal.48.verſ.10.* t. *Actor.c.2.v.13.*

tulerunt, ignes insilire non horruerunt, modò peccatum effugerent, æternitatis luctuosissimæ seminarium. Votum singulorum erat: *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis.* u. Et verè præstat mori millies, iterum iterumque millies iugulari melius, quàm morti æternæ obijci. Aut pecus, aut saxum est, quem à vitijs non reuocat æternitas.

Annis superioribus homo Belga, Bertrandus Cornelij, iuuenis fuit ferox, turbidus, vitiosus, pugnax, vt vrbe tota *Rex turbarum* audiret, in symposijs, ludis, tripudijs effusus. Proxima sub cineraliâ nocte, x. dum conuiuatur, choreas ducit, bacchatur, à Deo in ipsis choreis intimè tactus Æternitatis radio, subduxit sese, velut auram captaturus liberiorem. Paullò post secuti socij reperiunt hominem subtristem & cogitationibus mersum. Illi blandissimè rogare, curas abigeret, choreas repeteret,

u. *Habac. cap. 3. vers. 16.* x. Am Faßnacht Abend.

peteret, aut si mallet, pocula, & verò iam secum rediret, interspirationi sat datum. At ille de morte, de reddenda iudici ratione, de Æternitate ita pie cœpit philosophari, vt, licet primò eum id ioco agere opinarentur, vbi tamen seriò & constanter dissérentem audierunt, vehementer omnes fuerint obstupefacti. Demum ille in hæc verba finijt. *Definitum est mihi, socij, deinceps alium agere hominem, hisce ludicris abstinere, mutare mores pristinos, legibus Christianis viuere. Et certè si sapio, nullam imposterum occasionem negligo consequendæ salutis. Nec putem serum nimis resipiscere. Quamuis doleo, non citius huic cogitationi animum adiecisse, cùm iam satis intelligam, fugacissimis his voluptatibus vnam imminere AEternitatem. Sic pergo. Vos singuli rem vestram agite.* y.

Ita dixit & abijt, deseruitque rei nouitate attonitos, quosdam etiam ad meliora persuasos. Nemo non mirabatur, quotquot turbulenti hominis ingenium norant. Sub illud ipsum tempus

y. Sehe ein jeder auff sein Schantz.

opportunissimè Eleutherius Pontanus Menenas è Societate Iesv sacerdos illuc locorum venit, & ad Bertrandi domum non ignotus hospes diuertit. Audito eius aduentu mox accurrit Bertrandus, ad pedes sese abiecit, & in eandem societatem admitti ardenter rogauit. Post aliquod temporis spatium factus voti compos, ad domestica munia obeunda est admissus. Hoc vitæ genus ad obitum vsque triginta quatuor annis feliciter perduxit. Erat in eo ægrotorum cura insignis, & religiosę disciplinæ tanta obseruatio, vt circumgestata clepsydra, orationis horas ægrorum obsequio interruptas metiretur. 2. Eò Bertrandū Æternitatis meditatio pertraxit.

Scire, à quolibet graviore delicto luctuosam Æternitatem pendere, & nihilominus grauiter delinquere, extremæ fatuitatis specimen est. Æternus ignis suppliciorum ac tormẽtorum omnium est epitome.

Hæc omnia Bernardus illustri oratione

2. *Annales Societatis Anno* 1602. *die* 2 *Ianuarij, Louanij in Belgica.*

tione complexus : Quis putas, inquit, tunc mœror erit, quis luctus, quæ tristitia, cùm separabuntur impij à consortio sanctorum, & à visione Dei, & traditi in potestatem dæmonum, ibunt cum ipsis in ignem æternum, ibique semper erunt sine fine in luctu & gemitu? Procul quippe à beatâ paradisi patriâ exulati, cruciabuntur in gehennâ perpetuâ, nunquam lucem visuri, nunquam refrigerium adepturi, sed per millia millium annorum in inferno cruciandi, nec inde vnquam liberandi. Vbi nec qui torquet, aliquando fatigatur; nec qui torquetur, aliquando moritur. Sic enim ignis ibi consumit, vt semper reseruet: sic tormenta agũtur, vt semper renouentur. Iuxta verò qualitatem culpæ, pœnam sustinebit vnusquisque gehennæ: & similis culpæ rei, sui similibus iungentur cruciandi. Nihil aliud ibi audietur nisi fletus & planctus, gemitus & vlulatus, mœrores atque stridores dentium: nihilque ibi videbitur nisi vermes & laruales facies tortorum, atque teterrima monstra dæ-

monum. Vermes crudeles mordebunt intima cordis. Hinc dolor, inde pauor, gemitus, ſtupor, & timor horribilis. Ardebunt miſeri in igne æterno in æternum, & vltra. In carne cruciabuntur per ignem, in ſpiritu per conſcientiæ vermem. Ibi erit dolor intolerabilis, timor horribilis, fœtor incomparabilis, mors animæ & corporis, ſine ſpe veniæ & miſericordiæ. Sic tamen morientur vt ſemper viuant, & ſic viuent, vt ſemper moriantur. Ita anima peccatoris aut in inferno pro peccatis cruciatur, aut in paradiſo pro bonis meritis collocatur. Nunc ergo alterum è duobus eligamus, aut ſemper cruciari cum impijs, aut perpetualiter lætari cum ſanctis. Bonum ſiquidem & malum, vita & mors, ante nos ſunt poſita, vt ad quod voluerimus, manum extendamus. Si tormenta non terrent nos, ſaltem iuuent præmia. *a*.

Hæc noſtra nos fides docet, hanc ipſam tamen fidem, vt iam ſuprà demonſtratum eſt, aut in torporem ac ſomnum

a. Bern. l. de Anima c. 3.

somnum defluere, aut penitus interire sinimus.

Narrat Patauinus Præsul Petrus Barocius, virum oppidò eruditum optimo suorum amicorum se stitisse post mortem cum eiuscemodi oratione: Sub ipsam mortis horam in rebus fidei turpissimè à Satanâ deceptus sum. Ita mors animum, qualem reperit, abduxit & obtulit Iudici. Ab eo in ignem abire iussus sum. Quem, etsi maximus sit, vtcunque tamen tolerabilem iudicarem, si post mille annorum millia finiendus esset. Sed æternus est, idemque tantus, quantum apud vos nulla conspexit ætas. Maledicta scientia, quæ in tam immane præcipitium me deiecit. Dixit, & in auras abijt. At superstes alter, cùm rei nouitate, tum amici exilio æterno motus, amicissimos quosque, quid super eâ re in medium consulerent, interrogauit. Aliter vixit, sanctius obijt. *b.*

b. *Barocius l. 2. de ratione bene moriendi. De eodem Bellarminus Card. de Arte bene moriendi l. 3. C. 9.*

Epilogus.

Ergo rectissimè ratiocinatus Augustinus: Quis, inquit, non bibat tribulationis temporalis poculum, metuens ignem gehennarum? Et quis non contemnat dulcedinem sæculi, inhians dulcedini vitæ æternæ? Maiore timore minora contemnimus, & maiore æternitatis cupiditate omnia temporalia fastidimus. *c.*

Quantum arena, inquit Chrysostomus, imò verò quantum stilla ab immensa abysso distat, tantùm vita præsens ab æternis & immortalibus bonis. Non est hæc vera possessio; vsus est, nec ipse quidem satis proprius. Sola virtus nobiscum migrare consueuit. Virtus sola ad æternam vitam pertransit. Euigilemus tandem, pecuniarumque extinguamus appetitum, vt desiderium omne ad æterna transferre possimus. *d.*

Sed

c. *Aug. in ps. 68. post init.*
d. *Chrys. tom. 4. hom. 11. in 1. ad Tim. c. 4.*

Sed heu quanta est humanæ gentis inconsiderantia, quanta cæcitas! de obolo litigamus, cælum per risum & iocum prodigimus. Sic passim furoris contagione insanimus, mutuisque exemplis suauiter perimus. Non erubescis, ait aureus orator, quod præsentibus addictus? Non desinis desipere, & insanire, & iuueniliter nugari? Quicquid hîc molestum est, exiguum est; quod illic dulce erit, immortale erit. Ergo animos à fluxis & perituris ad æterna ac digniora transferamus, cælestium tangamur desiderio, vt bonis perfruamur futuris. *e.* Non satis inuitat præmium? terreat supplicium.

Illa ergo nobis, inquit Valerianus, sunt ante omnia cogitanda supplicia, vbi homo viuit durante pœnâ, vbi nec tormenta corpori, nec membra desunt dolori. Cui Chrysostomus accedens: Si non euersionem, ait, timuissent Niniuitæ, fuissent euersi. Si tempore Noe timuissent diluuium, non fuissent obruti

e. Idem hom. 9. in ep. 2. ad Cor. c. 5.

ruti diluuio. Si timuissent Sodomitæ incendium, non fuissent exusti. Magnum est malum, minas negligere. Nihil est æquè vtile atque de gehenna disserere. De ea dicatur assiduè, vt nunquam in eam incidas. Fieri non potest vt anima de gehenna sollicita citò peccet. Nullus ex ijs qui gehennam habet ante oculos, incidet in gehennam. Nullus ex ijs qui gehennam despiciunt, effugiet gehennam. *f.*

Refert Ioannes Moschus ad religiosissimum senem Alexandrum, qui cœnobio abbatis Gerasimi præerat, veniisse qui diceret: Migrare cogito, Pater, locus enim quem hactenus habitaui, nimis inamœnus frequentissimum mihi tædium parit. Cui optimus senex: Et hoc quidem signum est, fili, luculentum, nec cæli delitias, nec tartari flammas à te vnquam seriò cogitari. Nam si hæc animo agitares, crede mihi, nihil in cella tua tædij sentires. *g.*

Verissi-

f. Idem hom. 2. in ep. 1. ad Thessalon.
g. Mosch. Prat. Spirit. c. 141. & c. 142.

Veriſſimum, & ex tripode oraculum. Quicunque cælum, quicunque infernale balneum attenta mente perpendit, moleſtias & miſerias etiam grauiſſimas, aut non ſentit, aùt certè quod ſentit, in lucrum trahit, paratiſſimus & plura & grauiora perferre, modò pœnas exire liceat æternas.

Talis certè Olympius abbas, eodem Climaco teſte, qui interrogatus, qua ratione ſpeluncam habitare, æſtus tolerare tantos, inter muſcarum & cyniphũ examina totos dies perdurare poſſit? Ad quæ ille: Hæc, inquit, tolero, nec inuitus, vt à cruciatibus futuris liberer: cyniphes fero, quia vermem immortalem horreo: nec æſtum curo, quia ignes æternos formido. Illa enim temporis ſunt, ſuum viſura finem, idque breuiſſima ſunt æternitatis, omni fine caritura.

Idcircò hæc aſſiduè cogitanda, hæc vigilante animo ſunt pertractanda. Firmo etiam corpori in futuros morbos infunduntur medicamenta: ſic animus hiſce cogitationibus armandus in vitia.

vitia. Hæ cogitationes nonnihil amaræ, ſed ſalubres; non ſtatim obueniunt, ſed paullatim tempore, contubernio, vſu adoleſcunt ac roborantur; fugantur otio inerti, quod quantum virtuti adimit, tantum addit omni vitiorum generi.

Age, quiſquis es, ſaluti tuæ maturè proſpice. Vaticinantem audi Siracidem: *Si nõ in timore Domini tenueris te inſtanter, citò ſubuertetur domus tua.* h. Nunc in manu tuâ eſt, vt regnes, vt pereas.

Miles è puluillo & lecto non ſurrexit generoſior. Cogita beatitudinem Laboris & Virtutis eſſe filiam. Non erubeſcat, inquit Auguſtinus, pœnitentiam agere, qui non erubuit pœnitenda committere, ſed citò in ſe bonis operibus contendat imaginem reparare, vt inter filios mereatur agnoſci à patre, ne ab illa æterna beatitudine excluſus, & à conuiuio nuptiali proiectus, ligatis manibus ac pedibus proijciatur in tenebras

g. *Eccli. cap. 27. Verſ. 4.*

tenebras exteriores. *i.* Optimè Tertullianus: Peccati ceſſatio radix veniæ; gehennæ meditatio, principium ſalutis. Gehenna cùm malis omnibus abundet, illud ei bonum maximè deeſt, quod eſt in malis optimum, ſupplicij finis.

i. *Aug. tom. 10. ſerm. 60. de Temp.*

FINIS.

Scripſi: Sed vbi es, ô finis ſupplicij æterni?

MI LECTOR.

Quarundam vocum syllabas malè disjunctas conjunge: si quid aliorum errorum est, da veniam oculorum noctis.

INDEX
THEMATVM MORALIVM
QVÆ
EXPLICANDIS EVANGELIIS IN OMNES TOTIVS ANNI Dominicos & festos dies, vsui esse potuerunt concionatoribus.

AD

OMNES TAMEN CONCIONATORES, imo ad omnes Religiosos, & sacri, sed & politici status homines, præfatiunculam seu monitum præmittimus.

PERITI spiritus magistri norunt, quędam nunquam satis dici, nunquam inculcari satis posse; qualia sunt: *Intentio Recta*, quæ omnium actionum nostrarum vita est; *Humanæ voluntatis ad diuinam Cōformatio*, quæ omnium virtutū & totius sanctimoniæ fundamentum est; *Continentia*

nentia & pudicitia cuiuis ſtatui neceſſaria, quam in Orbe paſſim negligi docet NICETAS; Arcta & anguſta via ad cælum, quam *ſigna Prædeſtinationis* monſtrant; Vltimus finis noſter, ad quem beata ducit Æternitas &c. Hæc, inquam, talia nunquam nec dici, nec inculcari ſatis poſſunt, ideo ea ſimul vel per ſacros Aduentus, vel per maioris ieiunij dies, aut certè crebrius per annum inculcanda erunt. In hunc vſum Æternitatis, Zodiaci, Nicetæ, Amuſſis, Heliotropij &c. ſcriptio ſuſcepta eſt: Ex ea hic Index cũ cura factus, eoque modo, vt omnibus ſtatis concionibus, non tantum thema, ſed & vberior illuſtrandi thematis materia ſubijceretur. Atque hoc in rem Concionatorum maximè facturum putauimus.

Sed & Religioſis alijs, & cuiuſcunque ordinis hominibus, quibus paullò familiarius eſt meditandi exercitium, occaſionem damus, atque materiam ſubminiſtramus meditationis ſuper Dominicis & Feſtis Euangelijs inſtituendæ. Qua quidē ratione & hi concionatores ſunt.

nam

nam is sibi ipse concionatur, quisquis rectè meditatur.

Methodus Indicis istius hic est. Primò, Euangelij verba ponuntur pro themate. Additur materia quæ themati illustrando faciat. Tertiò pars huius voluminis aliqua nominatur, verbi gratia, Æternitas, Zodiacus, Horologium, Heliotropium &c. signato libro, capite, & cùm opus, etiam paragrapho.

Si hæc, mi optime Lector, tuo instituto prosint, fruere: & scito prodesse nos voluisse.

INDEX

INDEX
IN OMNES DOMINICOS DIES.

DOMINICA I. ADVENTVS.

Scitote, quia propè est Regnum Dei. Luc. 21. Quæstio hic proponi potest. Quid sit Æternitas? Ad hanc quæstionem respondetur per varia symbola. ÆTERNITAS, Considerationc. 1. initio, & §. 1. & Consid. 2. initio.

Notandum: posse toto Aduentu agi vtilissimè de cultu & examine Conscientiæ; explicatis simul Confessionis legibus. De conscientia TRISMEGISTVS lib. 1. toto. Si cui aliud placeat, materiam in diuersos dies distributam inueniet suis locis.

Cælum & terra transibunt. Luc. ibid. Posset his quatuor Dominicis diebus cum fructu proponi, Humanæ voluntatis inconstantia, de qua TRISMEGISTVS fusè lib. 1. cap. 8. Addi possent quæ proponuntur in HELIOTROPIO lib. 5. c. 12. seu. vlt.

DOM. II. ADVENTVS.

Quid existis in desertum videre arundinem vento agitatam? Matth. 11. De Inconstantia humana nobilissimum exemplum habet TRISMEGISTVS lib. 2. c. 10.

Quid existis videre hominem mollibus vestitum? Matth, ibid. De nimio corporis cultu & vestium

vestium pompa fusissime TRISMEGISTVS li. 5. cap. 5. sufficiet pluribus concionibus. Huc etiam faciunt sequentia huius libri capita, maximè 11. seu vltimum.

DOM. III. ADVENTVS.

Dirigite viam Domini. Ioan. 1. Hic opportunè dici potest de voluntaria corporis afflictatione, quæ viam Domino ad nos venturo parat, de quo NICETAS lib. 2. cap 4.

Dirigite viam Domini. Ioan. ibid. Recta Intentio in omnibus actionibus, hanc viam quam optimè dirigit. AMVSSIS lib. 2. cap. 10. conclusiones septem habet. Atq; hoc etiam in sequentem Dominicam suffecerit.

DOM. IV. ADVENTVS.

Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Luc. 3. Apud inferos pœnitentia est, sed furiosa & nimis sera, ideò falsa & irrita; ideoque nulla illic remissio peccatorum, Iubilæum nullum, nec spes vlla veniæ. Hic repeti potest quæstio de Æternitate, ÆTERNITAS Consid. 1. §. 2. vbi de mari mortuo, & Iubilæo desperato plura.

Parate viam Domini. Luc. ibid. De recta Intentione aliquid, vt in priore Dominica notatum est. Item dicendi hic locus de humanæ voluntatis ad diuinam conformandæ impedimentis, de quibus HELIOTROPIVM lib. 5. c. 12. §. 4.

NATIVITAS DOMINI IESV.

Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Luc.2. Quæ autem hæc bona voluntas sit tanto perè ab Angelis laudata; quomodo eam Iosephus castissimus Virginis sponsus; quomodo illam B. Virgo Maria, Domini mater; & ipse diuinissimus infans in præsepio exercuerit, docet AMVSSIS lib.2. cap.1. quod huc proprie spectat, nam hæc doctrina coram Ser. Electore Maximiliano Boiariæ Duce, hoc ipso die publicè tradita est, post sacri Aduentus dies in tradenda Intentione recta exactos.

Videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Luc.ibid. Cognitio diuini huius Verbi consistit in cognitione diuinæ Voluntatis. Transeamus ergo cum pijs pastoribus, & properemus hanc vnam quam exactissimè cognoscere. HELIOTROPIVM lib.5. cap. 12. §.1.

S. STEPHANVS.

Et noluisti. Matth.23. Humanæ Voluntatis inconstantia pluribus concionibus tractanda, de qua fusè TRISMEGISTVS lib.1.c.8.

Et noluisti. Matth.ibid. Humanæ voluntatis contumacia quam exitiosa sit homini, docet HELIOTROPIVM lib.4.c.4.

Lapidabant Stephanum, Actor.7. Quibus Stephanus suos lapides vendere noluerit, & cui demum eos vendiderit, appositè huc docet AMVSSIS lib.2.c.2.

S. IOANNES.

Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his. Ioan.21. Quomodo Ioannes parturientem

tem feminam, & insidiantem illi draconem videt, & quantum recta Intentio à diabolo impugnetur, AMVSIS lib. 2. cap. 3. quod huc propriè spectat

Quid ad te, tu me sequere. Ioan. ibid. Ille Deū verè sequitur, qui in rebus omnibus sua semper volūtate diuinam comitatur, nec vnquam aliud vult aut non vult, quàm quod Deum velle aut nolle cognoscit. HELIOTROPIVM lib. 5. cap. 12. §. 2.

SS. INNOCENTES MART.

Occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem. Matth. 2. Ah, cur Deus inauditam hanc tyrannidem non vetuit? tot innocentes Angelos iugulari cur permisit? Vide quid dicat HELIOTROPIVM de diuinis permissionibus lib. 1. cap. 2. nisi hoc Dominica 4. post Epiphaniam potius dicendum videatur.

DOM. INTRA OCTAVAM.

Ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte ac die Luc. 11. Sancti Dei oratione & mortificatione optimè coluntur, quod docet TRISMEGISTVS lib. 2. cap. 4.

CIRCVMCISIO DOMINI IESV.

Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, & vsque in saculum. Psal. 112. Benedicendus Deus tam inter læta & prospera, quam inter aduersa & tristia, planè prout ille mendicorum optimus fecit, cuius duo robustissima brachia, ipsum

Deum ligantia in xenium auditoribus dari poterunt. HELIOTROPIVM lib. 2. c. 1.

Hæc loquere & exhortare in Christo IESV Domino nostro. ad Tit. 2. Nihil ad annum optimè inchoandum auspicatius esse potest, quam suam omnem in diuinam voluntatem penitus transfundere. Hæc concionatores loquantur & exhortentur in Christo IESV; eiusque rei quinque illustrissima emolumenta proponant, de quibus HELIOTROPIVM lib. 5. c. 21. §. 3.

EPIPHANIA DOMINI IESV.

Audiens autem Herodes Rex turbatus est. Matth. 2. Malæ Intentionis nobilissimum exemplar est Herodes Magnus, Ascalonita, qui quatuordecim millia infantũ occidit, de quo fusius AMVSSIS lib. 1. c. 11.

Responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem. Matth. ibid. Mirabilis est Dei prouidentia præsertim in amicos, quos per singula vitæ momenta ita ducit regitque, vt illis omnia in bonum cedant, etiamsi hoc illi ignorent. Non permisit Deus hos optimæ Intentionis dynastas ab Herode rege grauius decipi. Explicatu ergo dignissimum est, quanta Dei prouidentia sit in amicos, de quo HELIOTROPIVM lib. 5. c. 18. nisi hoc dicendum seruetur in diem Natiuitatis B. Virginis.

DOMIN. I. POST EPIPHANIAM.

Et erat subditus illis. Luc. 2. Inobedientis & libidinosi iuuenis tragicissimum exemplũ habet

NICE-

NICETAS l.2.c.12. propius finem. Monitum Obedientiæ habet HOROLOGIVM Hora 2. Diei.

Neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Luc. ibid. Ibi nos eſſe oportet, & illud agere quod Deus vult. De duplici autem voluntate Dei, HELIOTROPIVM lib.1.c.5.

DOM. II. POST EPIPHAN.

Et cùm inebriati fuerint. Ioan.2. De Temperantia aliquid HOROLOGIVM Hora 3. Diei.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ. Ioan. ibid. Vbi nuptiæ, ibi plerunque pompæ, & cultus corporis nimius: quæ autem mala ex hoc corporis cultu oriantur, docet TRISMEGISTVS li.3.c.10.

Nuptiæ factæ ſunt. Ioan. ibid. Nullus ſtatus ſuſcipiendus ſine recta Intentione; AMVSSIS lib.2. c.8.§.6. Coniugalis amoris nobiliſſimum exemplum habet AMVSSIS lib.2.ca.12.§.1. de Tigrane & eius coniuge.

DOM. III. POST EPIPHAN.

Si vis, potes me mundare. Matth.8. En quanta ſuimet reſignatio, in petenda ſanitate! Ita in rebus aduerſis omnibus reſignatiſſimum ſemper eſſe oportet erga diuinam Voluntatem, vt nunquam non dicamus: Domine, ſi vis potes me liberare hac miſeria, ſi tamen vis, ô mi Deus, ſi vis. De hoc HELIOTROPIVM plene lib.4. cap.3.

Et ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites. Matth ibid. Nouem capita omnibus qui alios gubernant, ſingulariter obſeruanda proponit ÆTERNITAS. Conſid.3. ante §.1.

Deum ſigantia in xenium auditoribus dari poterunt. HELIOTROPIVM lib. 2. c. 1.

Hæc loquere & exhortare in Chriſto IESV Domino noſtro. ad Tit. 2. Nihil ad annum optimè inchoandum auſpicatius eſſe poteſt, quam ſuam omnem in diuinam voluntatem penitus transfundere. Hæc concionatores loquantur & exhortentur in Chriſto IESV; eiuſque rei quinque illuſtriſſima emolumenta proponant, de quibus HELIOTROPIVM lib. 5. c. 21. §. 3.

EPIPHANIA DOMINI IESV.

Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt. Matth. 2. Malæ Intentionis nobiliſſimum exemplar eſt Herodes Magnus, Aſcalonita, qui quatuordecim millia infantũ occidit, de quo fuſius AMVSSIS lib. 1. c. 11.

Reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem. Matth. ibid. Mirabilis eſt Dei prouidentia præſertim in amicos, quos per ſingula vitæ momenta ita ducit regitque, vt illis omnia in bonum cedant, etiamſi hoc illi ignorent. Non permiſit Deus hos optimæ Intentionis dynaſtas ab Herode rege grauius decipi. Explicatu ergo digniſſimum eſt, quanta Dei prouidentia ſit in amicos, de quo HELIOTROPIVM lib. 5. c. 18. niſi hoc dicendum ſeruetur in diem Natiuitatis B. Virginis.

DOMIN. I. POST EPIPHANIAM.

Et erat ſubditus illis. Luc. 2. Inobedientis & libidinoſi iuuenis tragiciſſimum exemplũ habet

NICE-

NICETAS l.2.c.12. propius finem. Monitum Obedientiæ habet HOROLOGIVM Hora 2. Diei.

Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Luc. ibid. Ibi nos esse oportet, & illud agere quod Deus vult. De duplici autem voluntate Dei, HELIOTROPIVM lib.1.c.5.

DOM. II. POST EPIPHAN.

Et cùm inebriati fuerint. Ioan.2. De Temperantia aliquid HOROLOGIVM Hora 3. Diei.

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Ioan. ibid. Vbi nuptiæ, ibi plerunque pompæ, & cultus corporis nimius: quæ autem mala ex hoc corporis cultu oriantur, docet TRISMEGISTVS li.3.c.10.

Nuptiæ factæ sunt. Ioan. ibid. Nullus status suscipiendus sine rectâ Intentione; AMVSSIS lib.2. c.8.§.6. Coniugalis amoris nobilissimum exemplum habet AMVSSIS lib.2.ca.12.§.1. de Tigrane & eius coniuge.

DOM. III. POST EPIPHAN.

Si vis, potes me mundare. Matth.8. En quanta suimet resignatio, in petenda sanitate! Ita in rebus aduersis omnibus resignatissimum semper esse oportet erga diuinam Voluntatem, vt nunquam non dicamus: Domine, si vis potes me liberare hac miseria, si tamen vis, ô mi Deus, si vis. De hoc HELIOTROPIVM plene lib.4.cap.3.

Et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites. Matth ibid. Nouem capita omnibus qui alios gubernant, singulariter obseruanda proponit ÆTERNITAS. Consid.3. ante §.1.

DOM. IV. POST EPIPHAN.

Ecce motus magnus factus est in mari. Matt. 8. Cur hunc motum Christus, rex cæli, terræ, maris, permisit, quem vtique impedire potuisset? Eadem & maior quæstio est, cur tot quotidie flagitia, tot iniurias permittat? Vide HELIOTROPIVM lib. 1. c. 2. fusè de hoc.

Domine, salua nos, perimus. Matth. ibid. Videbantur sibi Apostoli iam pænè in mari natare Incredibilis est plurimorum hominum de Deo diffidentia, ideò hæc sæpius exagitanda, de qua HELIOTROPIVM lib. 5. c. 10. §. 1. 2. 3. & 4.

Quid timidi estis modica fidei? Matth. ibid. Qua ratione in aduersis potissimum firmanda & exigenda sit ad Deum fiducia, docet HELIOTROPIVM lib 5. c. 3.

DOM. V. POST. EPIPHAN.

Dum dormirent homines venit inimicus homo, & superseminauit Zizania. Matth. 13. Dicendum hoc loco, quàm periculosum sit ire cubitum & non prius cum Deo redire in gratiam per examen conscientiæ: quid autem contra hoc obijci soleat, docet TRISMEGISTVS lib. 1. c. 7.

Vis imus, & colligimus ea? Matth. ibid. Quomodo Voluntas Dei in rebus omnibus agnosci possit, septem regulæ traduntur in HELIOTROPIO lib. 1. c. 4.

DOM. VI. POST EPIPHAN.

Simile est regnum cœlorum fermento. Matt. 13. Vnica subinde sententiola bona, totum hominē,

velut

velut fermentum farinaceam massam, immutat & meliorem reddit. Regnum cælorum hic Ecclesia, seu, cætus fidelium est. Vide TRISMEGISTVM lib. 2. c. 7.

Abscondit in farina satis tribus, donec fermentatum est totum. Matth. ibid. Tribus his satis conferri possunt Contemptus sui, charitatis donum, operum Christi gustus, de quibus ÆTERNITAS Consid. 6. §. 1.

SEPTVAGESIMA.

Multi sunt vocati, pauci vero electi. Matt. 20. De Prædestinatorum exili numero si cum reprobórum multitudine cõferatur, agit ZODIACVS, qui post 12. symbola Prædestinationis, habet Coronidem de hac ipsa saluandorum paucitate: quod in plures conciones sufficiet.

Quid hic statis tota die otiosi? Matth. ib. Contra otium, malorum omnium largissimum fontem hic disserendum. NICETAS lib. 1. cap. 3. & lib. 2. cap. 8.

SEXAGESIMA.

Semen est Verbum Dei. Luc. 8. Hodie prorsus dicitur de auditione Verbi diuini, de qua ZODIACVS symb. 6. §. 1. 2. & 3.

Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est. Ibid. Luc. Plurimorum concionem audientium Malam, aut certè non Bonam vel Nullam esse Intentionem ostendit AMVSSIS lib. 1. c. 10. §. 2.

QVINQVAGESIMA.

Ecce aſcendimus Ieroſolymam. Luc. 18. Chriſtus Dominus ſuæ ipſe morti obuiam iuit, Chriſtianum, imitatione Chriſti Domini, decet promptitudo ad mortem. ZODIACVS ſymb. 2. §. 1. 2. & 3.

Et conſpuetur. Luc. ibid. Etiamnum cõſpuitur Chriſtus à multis, qui Animum, Dei imaginem, modis indignis tractant, corpus nimio luxu exornant, de horum ſtultitia vide quid dicat TRISMEGISTVS lib. 3. c. 11. ſeu vlt. vbi fusè humana fatuitas demonſtratur.

DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

Oſtendit ei omnia regna Mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo. Matth. 4. Mentiris Orciniane veterator, non tua ſunt regna Mundi; cur rem alienam ſuperbiſſimè ſpondes in præmium? Sed ſint tua, quàm ſunt caduca & fluxa? Tranſit momento Mundi gloria. Igitur annos æternos in mente habeamus, & omnes ex Orco laruas facilè ſpernemus. ÆTERNITAS Conſid. 4. ante §. 1.

Et cum ieiunaſſet 40. *diebus & noctibus, poſtea eſurijt. Matth. ibid.* De abſtinentiæ & Ieiunij vtilitate. NICETAS lib. 2. c. 7.

DOM. II. QVADRAGESIMÆ.

Domine, bonum eſt nos hic eſſe. Matt. 7. Trãsfiguratio Domini IESV, guſtulus ſolum fuit æterni

æterni conuiuij, quid ipsum erit conuiuium æternum? Hic de æternæ vitæ præmio agi potest. ÆTERNITAS Consid. 9. §. 2.

Bonum est, nos hic esse. Matth. ibid. In nullo statu bonum est esse, nisi bona simul sit Intentio, AMVSSIS lib. 2. c. 8. §. 6.

DOM. III. QVADRAGESIMÆ.

Reuertar in domum meam, vnde exiui. Luc. 11. Hic explicanda detestatio præteritorum peccatorum, de qua ZODIACVS symb. 10. §. 1. 2. & 3.

Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Luc. ibid. Ergo, ATTENDE TIBI IN OMNIBVS, & præuide futura, ne in easdem sordes relapsus grauius mergaris. Præuide, quæso, quid secuturum, præuide & attende tibi, de hoc AMVSSIS lib. 2. c. 12. §. 4. 5. & 6.

DOM. IV. QVADRAGESIMÆ, seu, LÆTARE.

Est puer vnus hic qui habet quinque panes hordeaceos. Ioan. 4. Christus opulentissimus conuiuator, suis conuiuis vnicum apponit ferculum, pisces cum pane; de vino nulla penitus mentio. Contra gulam hic dicendum, & mensæ lautitia iure castiganda, NICETAS lib. 1. c. 4.

Sed hæc quid sunt inter tantos? ibid. Hic sermo exiguæ in Deum fiduciæ fuit. Quid fiducia in Deum sit, & in quo ea consistat, docet HELIOTROPIVM lib. 3. c. 1. & 2.

DOM. V. QVADRAGESIMÆ. seu, PASSIONIS.

Ego non quæro gloriam meam Ioan. 8. De vana glória multa tradit AMVSSIS lib. 1. ca. 4. & lib. 2. c. 4. 5. & c. 9. signo. 6.

Abraham Pater vester exultauit vt videret diem meum; vidit & gauisus est. Ioan. ibid. Omnes nostræ, Christi actionibus iungendæ sunt; sic Abraham filij, sic Christi fratres erimus. AMVSSIS lib. 2. c. 7. §. 7.

DOM. VI. QVADRAGESIMÆ, seu, PALMARVM.

Soluite & adducite mihi. Matth. 21. Si videre, audire, loqui, &c. si sensibus exterioribus vti volumus, eos quidem ligatos soluere possumus, sed ad Christum adducere debemus; ideò sensuum exteriorum sollicita sit custodia, de qua NICETAS lib. 2. c. 9. fusè: thema sæpius tractandum.

Plurima turba straverunt vestimenta sua in via Matth. ibid. Vestium pompā maximi quique viri calcarunt, nam eorum summa semper fuerat in cultu corporis modestia, quod prosequitur TRISMEGISTVS lib. 3. c. 8.

RESVRRECTIO DOMINI IESV.

Iesum quæritis Nazarenum, Crucifixum. Marci 16. Mirabile, lætissimo Paschatis die, etiamnū crucis & crucifixi mentionem fieri. Imò verè recè hoc nam vbi Nazarenus, hoc est, floridus, ibi est & crucifixus. Dicendum qui Christus

per

per crucem, & maximas ærumnas peruenerit ad triumphum gloriæ. ZODIACVS symb. 5. §. 1. & 2. Quæ tum Christo, tum nobis applicanda.

Ibi eum videbitis. Marc. ibid. Christo IESV crucifixo & rediuiuo noſtros oculos, noſtraque omnia debemus, cuius rei nobiliſſimum exemplum eſt in AMVSSI lib. 2. c. 10. §. 1. & 2.

FERIA II. PASCHATIS.

Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Luc. 24. Certiſſima via eſt ad cælum, regia via Crucis. ZODIACVS symb. 5. §. 3. & 4.

Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad inuicē? Luc. ibid. Contra turpia & impura colloquia acriter, prout digna ſunt, diſſerendum. NICETAS lib. 1. c. 8.

FERIA III. PASCHATIS.

Obtulerunt ei partem piſcis aſſi, & fauum mellis. Ioan. 21 Quid melius, aut ſuauius? piſcem, in quo fel compreſſum, eſt, comedere, an triduo maximos dolores ſuſtinere? Stulta videtur quæſtio: ad eam reſpondet ÆTERNITAS Conſid. §. 1. Vbi quinque priſcorum Patrum dicta huc applicari poſſunt.

Ego ſum, nolite timere. Ioan. ibid. Illi profectò timent & trepidant ſæpiſſime, qui Deum Deique prouidentiam non agnoſcunt. Hic igitur diſſerendum, quanta Dei prouidentia ſit, tam in amicos, quam etiam inimicos: de hoc HELIOTROPIVM lib. 5. c. 9.

DOMINICA I. POST PASCHA.

Pax vobis. Ioan. 20. Vbi moderatio affectuũ, ſeu, victoria tentationum, ibi pax iſta. De moderandis affectibus ZODIACVS ſymb. 12. §. 1. 2. & 3.

Pax vobis. Ioan. ibid. Pacem maximam homini conciliant, Inuidia non vri, Hominum iudicia ſpernere, ſeipſum in omnibus non quærere, ad omnia promptum & volentem eſſe &c. quæ omnia optimæ Intentionis ſigna ſunt, de quibus AMVSSIS lib. 2. c. 10. ſigno 6. 7. & 9. 10. 11. & 12.

Pax vobis. Ioan ibid. In huius Euangelij lectione ter Dominus ſuis pacem precatur. Hanc autem nihil æque confirmat, quam perfecta humanæ voluntatis ad diuinam conformatio. vbi hæc eſt, ibi ſumma, ibi tranquilliſſima pax eſt. HELIOTROPIVM lib. 3. c. 1.

DOM. II. POST PASCHA.

Ego ſum Paſtor bonus. Ioan. 10. Hoc verè de ſe quoque dixerit cuiuſuis Angelus cuſtos, qui ipſos etiam paſſus ouiculæ ſuæ numerat, vt Inculenta docet hiſtoria in HOROLOGIO Hora II. Noctis, vbi etiam traditur qua ratione optimi paſtoris huius virtutes imitemur.

Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt. Ioan. ibid. Qui bonam habet Intentionem & Deo ſeruit, non vt mercenarius, is maxima induſtria cuſtodit oues ſuas, vnde plurima emolumenta naſcuntur. Vide AMVSSIS lib. 2. cap. 7. Vbi ſeptem Conſecutiones Intentionis bonæ recenſentur.

DOM.

DOM. III. POST PASCHA.

Modicum, & non videbitis me. Ioan. 16. Omnia prorsus *Modicum* sunt, præter Æternitatem. ÆTERNITAS Consid. 6. §. 3.

Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium Ioan. ibid. Quæstio est, Num fieri possit, vt quis nunquam tristetur & an id arte illa impetrandum, qua nostram diuinæ voluntati conformamus? Ad hanc respondet HELIOTROPIVM lib. 3. c. 2.

DOM. IV. POST PASCHA.

Quo vadis? Ioan. 16. Quo vidis, ô homo, ad inferos, an ad superos? circumspice, oro, & delibera: exemplum habes illustrissimum in Theodoro hac de re deliberante. ÆTERNITAS Consid. 8. §. 3.

Quo vadis? Intentio recta omnium actionum nostrarum anima est & vita, de hac AMVSSIS lib. 1. c. 1. & 2.

DOM. V. POST PASCHA.

Petite & accipietis. Ioan. 16. De precibus & orandi studio NICETAS lib. 2. c. 5.

Petite & accipietis. Vnius hominis preces quam validæ sæpe fuerint, docet TRISMEGISTVS lib. 2. c. 8.

In nomine meo. Ioan ibid. Nec dies auspicandus, nec vllæ preces incipiendæ sine Deo, Deique nomine, hoc est, sine praxi bonæ. Intentionis. AMVSSIS lib. 2. c. 8. §. 1. 2. & 3.

ASCENSIO DOMINI IESV.

Ecce duo viri adstiterunt iuxta illos in vestibus albis. Actor. 1. De SS. Angelorum in Christũ obsequijs HOROLOGIVM Hora 8. Noctis.

Exprobrauit incredulitatem eorum & duritiã cordis. Marci 16. Non est damnosior cordis duritia, quam suam voluntatem cum diuina nolle coniungere. Quod plerunque inde nascitur, quod Deo non fidamus: Deo autem hinc non fidemus, quia prouidentiam eius non agnoscimus. Qui ergo eleuari vult cum Christo in cælum, & assumi, ante omnia diuinam prouidentiã agnoscat; ex hac cognitione fiducia nascetur; fiduciam humanæ & diuinæ voluntatis coniunctio sequetur, de quo HELIOTROPIVM lib. 5. cap. 11.

DOM. VI. POST PASCHA.

Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Ioan. 16. Hic proprio & suo loco tractanda quæstio est; Vtrũ bona Intentio possit opus malum facere bonũ. De hoc AMVSSIS distinctè lib. 1. c. 6. Ergo innocentes occidere bona intentione, bonum nõ est.

Hæc locutus sum vobis, vt cum venerit hora, eorum reminiscamini. Ioan. ibid. Vult Christus vt sui aduersos casus omnes præuideant & præmeditentur, quo ijs sustinendis fortiores sint. Sibi ipsi non attendere, omnium vitiorum origo est. AMVSSIS lib. 2. c. 12. §. 1. & 2.

PENTE-

PENTECOSTE.

Ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus. Ioan. 14. Deus vbique est, non per gratiam vbique, sed per præsentiam, de qua hoc triduo Pentecostes vtiliter ageretur Dei præsentiam in omni loco explicat NICETAS lib. 2. c. 10. quod caput velut eliquatus succus est materiæ sacro Aduentu toto tractatæ de Dei præsentia.

Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Ioan. ibid. Ille verè timet, verè honorat, verè diligit Deum, qui Dei voluntatem facit. Quam autem voluntatem Deus in homine requirat, docet HELIOTROPIVM lib. 2. cap. 2. Quod pluribus concionibus suffecerit.

FERIA II. PENTECOSTES.

Omnis qui male agit, odit lucem. Ioan. 3. Qui peccant, Deumque grauius offendunt, cuperent se à Deo non videri, ne punirentur. Igitur iterũ de Dei præsentia in omni loco dicendum, de qua NICETAS dicto lib. 2. c. 10.

Dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Ioan. ibid. Vbi nulla hominis Intentio in agendo, ibi nox & tenebræ, & innumeri errores. de qua re copiosè AMVSSIS lib. 1. c. 12.

FERIA III. PENTECOSTES.

Per me si quis introierit, saluabitur. Ioan. 10. Tertium (si sic videatur) de Dei præsentia in omni loco, dici poterit. res enim omnibus probè incul-

inculcanda est. Non facilè grauius peccat, qui se semper in Dei oculis stare cogitat. de quo NICETAS dicto loco.

Fur non venit nisi vt furetur, mactet & perdat. Ioan ibid. Mala Intentio pessundat & corrūpit omnia quæ tangit, de hac AMVSSIS lib. 1. cap. 8.

DOMINICA SS. TRINITATIS, SEV PRIMA POST PENTECOSTEN.

Docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis. Matth. 28. Vt non iudicemur, & vt nō damnemur à Deo, Christus vnice requirit, *Nolite iudicare, & non iudicabimini; Nolite condemnare, & non condemnabimini*, vt in huius Dominicæ Euangelio docetur. Est ergo Temerariū iudicium omnibus modis, & ante omnia cauendū, de quo AMVSSIS lib. 2. c. 7. Vbi copiosè traditur, quod plurimis concionibus vrgendum est.

Quæcunque mandaui vobis. Quænam illa omnia sunt? Vnicum est facere Voluntatem Dei, seu quod idem, suam diuinæ Voluntati coniungere. de quo HELIOTROPIVM lib. 5. c. 12. §. 5.

DIES CORPORIS CHRISTI.

Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit non moriatur. Ioan. 6. De frequenti sacramentorum Confessionis & Communionis vsu ZODIACVS symb. 3. §. 1. 2. & 3.

DOM.

DOM. II. POST PENTECOST.

Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cenam meam. Luc.14. In omnibus negotiationibus certi esse volumus, atque etiam ius triũ obolorum persequimur, Cenam illam magnam & delitias æternas ignauissimè negligimus. ÆTERNITAS Consid. 8. ante §. 1.

Misit seruum suum hora cena dicere inuitatis, vt venirent. Luc. ibid. Crebrius communicandũ esse è mensa Domini, præsertim festis Sanctorũ diebus, docet TRISMEGISTVS lib. 2. c. 6.

DOM. III. POST PENT.

Ita dico vobis gaudium erit coram Angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiam agente. Luc.15. Quam multæ drachmæ perditæ in tenebris vitiorum latent: at vbi lux Æternitatis accenditur, drachma perdita inuenitur. ÆTERNITAS Consid. 5 ante §. 1.

Hac Dominica pluribus locis festus dies S. Angeli Custodis agitur, de quo infra Dominica penultima.

DOM. IV. POST PENT.

Per totam noctem laborantes, nihil cepimus. Luc.5. Frustra laboramus, & in alta nocte degimus, si nostri notitiam non habemus, de qua TRISMEGISTVS lib. 1 c. 4.

In nomine tuo laxabo rete. Luc. ibid. Incassum prorsus laboratur, & nihil capitur, vbi Intentione mala laboratur de hoc AMVSSIS lib. 1. cap. 4. Nisi feria 3. Pentecostes hoc tractatum sit.

DOM.

DOM. V. POST PENT.

Vade prius reconciliari fratri tuo. Matth. 5. De reconciliatione & amore inimicorum hic agendum, cum huc propriè spectet de hoc ZODIACVS symb. 9. per septem paragraphos. Copiosissima dicendi materia, etiam alibi tractanda, & seuere inculcanda: res magni momenti est, cor purum habere ab omni odio. De misericordia præsertim in inimicos, aliquid etiam HOROLOGIVM, Hora 6. Diei.

Omnis qui iraseitur fratri suo, reus erit iudicio. Matth. ibid. Iusta sunt Dei iudicia, sed arcana. De his copiosam dissertationem vide in HELIOTROPIO lib. 1. c. 3.

DOM. VI. POST PENT.

Ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent. Marci 6. Propter Christum relinquenda sunt omnia, & amplectenda etiam paupertas, hoc est enim discumbere super terram, quod hic etiam Dominus *præcepit turbæ, discumbere super terram.* Vide ZODIACVM symb. 4. §. 1. & 2.

Vnde istos quis poterit hic saturare panibus in solitudine? Marc. ibid. Sic plerumque argumentamur miseri, omnia ad modulum humanæ rationis metientes. Cur non potius fidimus Deo, illudque Abrahami vsurpamus, DEVS PROVIDEBIT. Quantum autem vacillantem fiduciam diuinæ Prouidentiæ cognitio erigat, exponit HELIOTROPIVM lib. 5. c. 6.

DOM.

DOM. VII. POST PENT.

Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Matt. 7. Ignis semper duraturi, & mortis æternæ supplicium apud inferos est. ÆTERNITAS Consid. 9. §. 1. post præcedentes 7. concluſ.

Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. Matth. ibid. Arboris laus aut vituperium à radice est, actionum noſtrarum bonitas vel malitia, ab Intentione bona vel mala prouenit. Quæ omnium optima sit Intentio, docet AMVSIS lib. 1. c. 5.

Qui facit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Matth. ibid. Hic humanæ voluntatis ad diuinam Conformatio expreſſiſſimè docetur. Atque hoc vnum pænè aſſiduè, & omnibus concionibus inculcandũ. Vide HELIOTROPIVM lib. 2. c. 3.

DOM. VIII. POST PENT.

Filij huius ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt. Luc. 16. Quam vanis ſtudijs Æternitatem quæſierunt Romani, & ideò eam inuenire non potuerunt! O verè vanitas vanitatũm, & omnia vanitas! ÆTERNITAS Conſid. 3. ante §. 1.

Redde rationem villicationis tuæ. Luc. ib. De examine conſcientiæ, & ratione quotidie reddenda, TRISMEGISTVS lib. 1. c. 1. 2. & 3.

Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis. Luc. ibid. De danda eleemoſyna fuſius agit ZODIACVS ſymb. 7. §. 1. 2. & 3.

DOM.

DOM. IX. POST PENT.

Quia si cognouisses & tu. Luc.19. Stupenda & incredibilis hominum, cæcitas est in agnoscendis rebus cælestibus & diuinis. ÆTERNITAS Consid.9.ante §.1. vbi per sex conclusiones intelligentia humana eruditur.

Si cognouisses & tu, Notitia sui cuiuis summè necessaria, de qua TRISMEGISTVS lib.1.c.5. Vbi de modo examinandæ conscientiæ agitur. Vide HOROLOGIVM Hora 12. Diei, vbi practicus examinandæ conscientiæ modus docetur.

DOM. X. POST. PENT.

Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur Luc.18. Hic vilis sui æstimatio explicanda, de qua ZODIACVS symb.8.§.1.& 2. De Iustitia quã sibi arrogabat Pharisæus, HOROLOGIVM paucula Hora 5. Diei. Idem de Humilitate Hora 10. Diei.

Non sum sicut ceteri hominum, Luc. ibid. De Vana gloria qua hic Pharisæus maxima laborabat, AMVSSIS lib.1.cap.4. strictim. sed copiosissimè lib.2.c.4.5.& c.9. signo 6. Plures inde conciones poterunt parari. Res necessariò sæpius instillanda. Hoc enim morbo, non tantùm ægroti, sed & sani, mirabile, aut qui esse videntur sani, laborant.

DOM. XI. POST PENT.

Et statim aperta sunt aures eius. Marci.7. Insanabili pænè surditate laborat, qui formidabilissimum

lissimum illud tonitru, *Æternum Æternum Æternum* non audit. Quo effectu & quinam suo bono id audierint, ÆTERNITAS Consid. 4.§.3.

Bene omnia fecit. Marc. ibid. Quomodo Dei Voluntas in rebus omnibus, excepto peccato, inueniatur, ostendit HELIOTROPIVM lib. 2. c. 5. §. 7. seu vlt.

DOM. XII. POST PENT.

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo. Luc. 10. De diuini amoris actibus HOROLOGIVM Hora 8. Diei. Idem, de Charitate Hora 11. Diei.

Hoc fac & viues. Luc. ibid. FACERE non DICERE ad cælum euehit. Voluntas efficax, & in omnibus cum diuina consentiens, quæ etiã pro facto reputatur, ea est quæ vitam homini confert. Quæ autem signa sint efficacis huius volũtatis, tradit HELIOTROPIVM lib. 2. cap. 5. per sex paragraphos.

DOM. XIII. POST PENT.

Occurrerunt ei decem viri leprosi. Luc. 17. Mali socij quicunque, verè leprosi sunt, qui lepram suam alijs tacitè affricant, de his NICETAS lib. 1. cap. 9.

Ite, ostendite vos sacerdotibus. Luc. ibid. De crebra peccatorum confessione, NICETAS lib. 2. cap. 6.

DOM. XIV. POST PENT.

Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis. Matth. 6. Figamus oculum in Æternitate

Æternitate beatorum, & omnia salua erunt nobis. ÆTERNITAS Consid. 6. §. 2.

Nonne anima plus est quam esca? Matth. ibid. Omnes pene sollicitudines nostre ad corpus eũt, & corporis cultum: At verò animus magis colendus est. TRISMEGISTVS lib. 3. c. 1.

De vestimento quid solliciti estis? Matth. ibid. De superfluo corporis cultu quid sancti Patres & Scriptura senserint, docet TRISMEGISTVS lib. 3. c. 6.

Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis. Matth. ibid. Quanta Dei prouidentia sit circa vitę necessaria, copiosè tradit HELIOTROPIVM lib. 5. c. 7.

DOM. XV. POST PENT.

Ecce defunctus efferebatur. Luc. 7. Vide HOROLOGIVM Angeli Tutelaris. vbi initio tam diurnarum quàm Nocturnarum horarum semper de Morte monitũ reperies, *Disce mori.* Hæc 24. monita, sunt veluti 24. faces, quæ in defuncti funere, iuxta feretrum feruntur. Atque ex his vtilis concio poterit concinnari.

Et resedit qui erat mortuus. Luc. ibid. Optimè se parat ad mortem, qui sibi comparat Cingulũ, Facem, & Tintinnabulum, de quo Horologium in Epilogo post Horas Noctis. De Morte, mi Lector, vide Prodromum meum qui tamen hoc volumine non continetur.

DOM.

DOM. XVI. POST PENT.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Luc. 14. Deus hic punit, hic morbos immittit, & omnis generis afflictiones, vt parcat in æternum. ÆTERNITAS Confid. 5. §. 3.

Vade, recumbe in nouissimo loco Luc. ib. Phariſæorum proprium erat rebus omnibus pompā induere, in omnibus videri velle, quod certum ſignum eſt Intentionis non bonæ, de qua AMVSSIS lib 1. c. 9.

Et ipſi obſeruabant eum. Luc. ibid. Aſſidua ſui ipſius obſeruatio neceſſaria eſt ad vitam rectè inſtituendam. AMVSSIS lib. 2. c. 12. §. 7.

DOM. XVII. POST PENT.

Nec auſus fuit quiſquam ex illa die eum amplius interrogare. Matth. 22. Hic quæri poteſt, Quæ in Mundo ſit omnium optima quæſtio? de hac ÆTERNITAS Confid. 5. §. 2.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Matth. ibid. Nullus vnquam labor ſuſcipiendus, nullius dolor perferendus, nulla virtus aggredienda, ſine recta Intentione, quæ primarius charitatis actus eſt, cum ſcilicet omnia ad maiorem Dei gloriam referuntur. AMVSSIS lib. 2. c. 8. §. 4. & 5.

DOM. XVIII. POST PENT.

Ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Matt. 9. Verè paralyticus eſt, & in morbo cubat, quem Ira & Inuidia, quem Superbia & Luxuria deiecerunt, de his vitijs, & quantū Angeli

ea ode

ea oderint in homine, docet HOROLOGIVM Hora 10. Noctis.

Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Matth. ibid. Nil peius in homine quam Mala voluntas, quæ certè tunc mala est, cùm est propria, & diuinæ consentiens, quæ quidem omniũ noxarum fons & scaturigo, malorum omnium Lerna est. Voluntas quæ se frangi non patitur, semper exitiosissima. de hac HELIOTROPIVM lib. 4. c. 2. fusè.

DOM. XIX. POST PENT.

Mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium. Matth. 22. Explicari potest hoc loco, Cur gehenna sit æterna. ÆTERNITAS Consid. 2 §. 2. & §. 3. Quomodo Natura ipsa moneat Æternitatis.

In tenebras exteriores. De nouemplici Æternitatis tormento apud inferos NICETAS lib. 2. c. 11. Copiosa materia, & quæ alibi etiam tractari poterit.

Et nolebant venire. Matth. ibid. Hominis suâ voluntatem cum diuina conformare recusantis nobilissimum paradigma proponit HELIOTROPIVM lib. 4. c. 4.

DOM. XX. POST PENT.

Incipiebat enim mori. Ioan. 4. Quàm primum incipimus viuere, & mori simul incipimus. Verùm mors illa formidanda non est, post quam vita sequitur: Mors illa nimium horrenda est, quæ est æterna; hæc incipit, & nunquam finit ÆTERNITAS Consid. 4. §. 1.

Nisi

Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Ioan. ibid. Hic disserendum qui sint gradus rectæ Intentionis, & quomodo Deo seruiendum propter Deum, non metu supplicij, non spe præmij, sed ob amorem Dei. AMVSSIS lib. 1. c. 7.

DOM. XXI. POST PENT.

Simile est regnum cœlorum homini regi qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Matth. 18. Examen & ratio conscientiæ quotidie reddenda commendatur omnibus statibus, in TRISMEGISTO lib. 1. c. 9.

Oblatus est ei vnus qui debebat ei decem millia talenta. Matth ibid. Omnia possunt numerari; at verò nec dies, nec anni Æternitatis numerabiles sunt: Æternitas omnes omnino numeros transilit. ÆTERNITAS Consid. 4. §. 2.

DOM. XXII. POST PENT.

Viam Dei in veritate doces. Matt. 22. De amore Veritatis aliquid HOROLOGIVM Hora 8. Diei.

Cuius est imago hæc & superscriptio? Matth. ibid. Contra impuros libros & impudicas imagines ac picturas acerbè disserendum. NICETAS lib. 1. c. 5. & 6.

Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Matth ibid. Quid magis Deo debemus quam amorem & fiduciam? Tanta nihilominus plurimorum de Deo diffidentia est, vt ijs Deus meritò dixerit: *Quid me tentatis hypocritæ?* Diffidentiam istam explicat HELIOTROPIVM lib. 5. c. 1. §. 5. 6. & 7.

DOM. XXIII. POST PENT.

Filia mea modo defuncta est. Matth. 9. Omnis afflictio, omnis calamitas & pœna, omnia Mundi mala, morbi & mors, à Deo & diuina Voluntate sunt HELIOTROPIVM lib. 1. c. 1.

Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur annis duodecim. Matth. ibid. Luxuria, seu, Incontinentia ingens Orbis malum, & verè sanguinis fluxus, tam corporis, quàm fortunæ, atq; animi bona omnia corrumpit & perdit, de quo NICETAS lib. 1. c 10.

DOM. XXIV. POST PENT.

Qui legit, intelligat. Matth. 24. Lectio sacra piorum librorum hoc loco, valde commendanda est, de qua NICETAS lib. 2. c. 3.

Abominatio desolationis. Matth. ibid. Vere desolatio, verè abominatio coram Deo Luxuria & libido, cuius nouem ingentia damna recensèt NICETAS lib. 2. ca. 12. de quibus etiam dici potest, die B. Magdalenæ, aut alijs diebus.

DOM. S. ANGELI CVSTODIS.

Angeli eorum vident faciem Patris mei qui in cœlis est. Matth. 18. Cur sancti Angeli præ ceteris cœlitibus summè venerandi sint, nouem causas assignat HOROLOGIVM, initio ad Horas Noctis. In eodem, Hora 2. Noctis Tres curiosæ quæstiones de Sanctis Angelis ponuntur. Et Hora 3. Noctis Viginti septem meditatiunculæ de SS. Angelis proponuntur, in quibus pleraque eorum in nos beneficia comprehenduntur.

Nonne

*Nonne omnes sunt administratorij spiritus? Hebræor.*1. De SS. Angelorum fidissimis in nos obsequijs & officijs HOROLOGIVM Hora 7. Noctis. SS. Angelis totum Horologium consecratum est.

DOM. DEDICATIONIS TEMPLI.

*Quærebat videre Iesum quis esset. Luc.*19. Intentio recta in omnibus, hoc vnum assiduè quærit, Iesum videre. Hic proponi possunt nouem quæstiunculæ illæ super bona Intentione positę, de quibus AMVSSIS lib.2.c 6.

Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus. Luc. ibid. Non metuebat Zachæus, ne si tam largam stipem erogaret, ipse demum egere inciperet: fidebat Deo. Quanta autem in Deum fiducia omnes Sancti fuerint, explicat HELIOTROPIVM lib.5.c.4.

INDEX
IN FESTOS DIES SANCTORVM.

S. ANDREAS.

*Faciam vos fieri piscatores hominum. Matt.*4. Ingens fuit Apostolorum in Christum fiducia, cum omnibus, & quæ habebant, & quæ habituros se sperabant, relictis, statim sequerētur Dominum. Mox vna præmium aliquod secutum, nam qui anteà pisces tantum, postea ho-

mines ipsos piscabantur. Ita solet Deus maximis præmijs humanam in se fiduciam remunerari, de qua re HELIOTROPIVM l. 5. c. 5.

Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum. Matth. ib. Quid omnis vita nostra agit, nisi quod texat retia? sed plane retia aranearum. Relinquamus & nos tandem cum Apostolis hæc retia & nugacissimam hanc texturam. ÆTERNITAS Consid. 5. §. 1.

S. NICOLAVS.

Ecce alia quinque super lucratus sum. Matth. 25. Sæpe vanissima quæque discimus & docemus. ecquis tam auidè discit lucrari cælum, quã numum? ÆTERNITAS Consid. 8. §. 1.

Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua: vt sit eleemosyna tua in abscondito. Matth. 6. S. Nicolaus non tantum eleemosynam dedit, sed & vanam gloriam fugit, quæ humanæ genti in omnibus actionibus insidiatur. de quo AMVSSIS lib. 2. ca. 4 & 5. & etiam lib. 1. c. 9. Vbi illud explicatur: Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Additurque explicatio de dextra dante, & sinistra ignorante quid dextra det.

S. THOMAS.

Dominus meus, & Deus meus. Ioan. 20. Hic explicanda est propensio voluntatis in bonum, seu, Conformitas humanæ voluntatis cum diuina, ZODIACVS symb. 11. §. 1. 2. & 3.

Domi-

Dominus meus, & Deus meus. Hic etiam explicari possunt preces iaculatoriæ. *Benedictus Deus in æternum* &c. HOROLOGIVM Hora 2. Diei. Et Hora 9. Diei illud: *Deus meus & omnia*, dictum B. Francisci.

PVRIFICATIO BEATISS. VIRGINIS MARIÆ.

Lumen ad reuelationem gentium. Luc. 2. De lumine hominis interno ZODIACVS symb. 1. §. 1. 2. & 3.

Vt darent hostiam, secundum quod scriptũ est in lege Domini. Luc. ibid. Non est melior oblatio, non est dignius Deo sacrificium, quam humanæ voluntatis cum diuina consensus & conformitas. HELIOTROP. l. 3. c. 3.

S. MATTHIAS.

Venite ad me omnes. Matth. 11. De Christo inuitante, & Adamo lamentante, ÆTERNITAS Consid. 7. §. 1 & 2.

Et reuelasti ea paruulis. Matth. ibid. Huc fecerit Exhortatio ad Religiosos & ad Aulicos super recta Intentione, AMVSSIS lib 2. c. 11.

ANNVNTIATIO BEATISS. VIRGINIS MARIÆ.

Et regni eius non erit finis. Luc. 1. Explicantur hæc in Æternitate Consid. 3. §. 1.

Missus est Angelus ad virginem desponsatam viro. Luc. ibid. B. Virginem, Domini Matrem, & sanctos Angelos præ cæteris sanctis venerandos esse docet TRISMEGISTVS lib 2. cap. 3. singulis

horis vnum *Aue Maria* dicendum esse, vt exercitium pietatis vtilissimum, suadet idem TRISMEGISTVS lib. 2. c. 4. §. 2.

S. GEORGIVS.

Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignē mittent. ET ARDET. *Ioan.* 15. Illud, ET ARDET, singulariter notandum. Quæ autem apud inferos sint æterna, tradit ÆTERNITAS Consid. 2. §. 1 & Consid. 9. conclusione 1.

Si quis in me non manserit. Constantiæ & Inconstantiæ exempla habet TRISMEGISTVS lib. 2. cap. 10.

SS. PHILIPPVS & IACOBVS.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Ioan. 14. De mansione Troili, auari præsulis malè vēdita, illustre documentum habet ÆTERNITAS Consid. 1. §. 3.

Non turbetur cor vestrum. Ioan. ibid. Quàm nos stabiles faciat, & contra turbationes muniat Recta Intentio, docet AMVSSIS lib. 2. c. 9. signo 1. 2. 3. 4. & 5.

S. IOANNES BAPTISTA.

Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Malach. 3. Ioannes Baptista verè Angelus fuit, neque manducans, neque bibens (vt Christus loquitur) & pæne neq; vestiens se. De discrimine inter hominem & Angelum, HOROLOGIVM Hora 9. Noctis.

Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum.

rum. Matth. 3. Cultum corporis sanctissimi homines quam & oderint, & fugerint, TRISMEGISTVS lib. 3. c. 9.

SS. PETRVS & PAVLVS.

Vos autem quem me esse dicitis. Matt. 8. Quisque suam interroget conscientiam, & illa dicet, quis sit. Examen conscientiæ quot partes habeat, docet TRISMEGISTVS lib. 1. c. 6.

Caro & sanguis non reuelauit tibi. Matt ibid. Caro nostra, summus hostis noster est. TRISMEGISTVS fusè lib. 3. c. 2. & 3.

S. MARIA MAGDALENA.

Ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix. Luc. 7. Peccatum luxuriæ quantum noceat, & quod etiam famam inquinet, NICETAS lib. 1. c. 11. & 12.

Lacrimis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat. Luc. ibid. Ad beatam Æternitatem alia via non est, nisi via veræ Pœnitentiæ & Patientiæ. de vtraque hac ÆTERNITAS Confid. 3. §. 3. De Patientia HOROLOGIVM Hora 1. Diei. Vbi etiam de actu Contritionis & Accusatione sui ipsius explicate plura.

Fides tua te saluam fecit: vade in pace. Luc. ib. Is sanè in pace vadit, qui per acta pœnitentia, nihil voluntatis propriæ, tam in omnibus rebus arduis ac difficilibus, quam in ipsa morte retinet: hic homo fines pacis ingreditur. HELIOTROPIVM lib. 4. c. 6.

S. IACOBVS.

Quid vis? Matth. 20. Quàm multa, quàm & diuersa atq; inter se pugnantia, vel vno solũ die, vel vna solũ hora volumus? interim omnis perfectio hominis consistit in Conformatione humanæ voluntatis ad diuinam. HELIOTROPIVM lib. 3. c. 4.

Potestis bibere calicem, quẽ ego bibiturus sum? Dicunt ei, Possumus, Matt. ibid. Oportet hominẽ paratum & resignatum esse, ad omnem penuriã, ad contemptum & ignominiam, ad quemcunq; morbum, ad quamcunque mortem, ad omnia omnino vel in tempore, vel in Æternitate perpetienda; hoc est enim calicem Domini bibere, de quo HELIOTROPIVM lib. 4. c. 1.

S. LAVRENTIVS.

Qui amat animam suam, perdet eam. Ioan. 12. Vbique Christus, animæ odium, viam arctam, & portam angustam ad cælum in diuinissimis suis concionibus ingerit. ÆTERNITAS Consid. 9. Concluſ. 7. Conferatur S. Laurentius in prunis cũm S. Benedicto in spinis; de cuius illustrissimo facinore NICETAS l. 2. c. 1. & 3. Cum his etiam conferri potest ipse Nicetas in lecto pugnans cruentâ linguâ, de quo lib. 1. c. 1.

Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus Ioan. ibid. Nemo fidelius ministrat Christo Deo quàm qui in rebus omnibus Dei voluntatem quam perfectissimè cupit facere. Et hæc humanæ voluntatis ad diuinam conformatio, summum vitæ bonum est. HELIOTROP. lib. 3. c. 5.

ASSVM-

ASSVMPTIO BEATISS. VIRGINIS MARIÆ.

Porro vnum est necessarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Luc. 10. Hoc vnum vnice necessarium est, in omnibus beatam Æternitatem quærere, omnia Æternitati facere; hæc illa pars optima. ÆTERNITAS Consid. 9. §. 3. omnium vlt.

Optimam partem elegit. Pessimam partem eligunt qui magis corpus quam animum colunt, TRISMEGISTVS lib. 3. c. 4.

S. BARTHOLOMÆVS.

Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua. Iob. 2. Hodie explicandum illustrissimũ inauditum facinus Niceræ, de quo NICETAS lib. 1. ca. 1. & c. 2. Ostendendum hic quomodo culter S. Bartholomæi contra luxuriã adhibendus.

Et erat pernoctans in oratione Dei. Luc. 6. Nõ est melior oratio quam illa quam nos Dominus IESVS verbo exemplo docuit, Fiat voluntas tua. HELIOTROPIVM lib. 2. c. 4.

NATIVITAS BEATISS. VIRGINIS MARIÆ.

Ex qua natus est IESVS qui vocatur Christus. Matt. 1. Duodecim salutationes ad B. Virginem, Domini Matrem habet HOROLOGIVM Horæ 7. Dei. Sed hæ salutationes erunt paullò fusius explicandæ.

Iacob autem genuit Ioseph, virum Maria. Matt. ibid. Considera mihi hanc regiæ stirpis admirandam

randam seriem, quanta Deus prouidentia ab vsque Dauid, ab vsque Abraham, per tot velut canales, per homines sanctissimos vna & scelestissimos regium sanguinem ad Ioseph & Mariam, Virginisque filium deduxerit. Amplus hic dicendi campus, quanta Deus prouidentia vtatur in suos amicos, de quo HELIOTROPIVM l. 5. c. 8.

S. MATTHÆVS.

Sequere me & surgens secutus est eum. Luc. 5. Nihil æquè periculosum & noxium est atque pœnitentiam differre. De Coruo crocitante malæ dilationis symbolo. ÆTERNITAS Consid. 7. §. 3.

Relictis omnibus. Luc. ibid. Dilatio humanæ vitæ damnosissima, HOROLOGIVM in Epilogo post Horas Noctis.

Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester? Matth. 11. Iudicium hoc planè temerarium erat, quod Christus repressit. De Iudicio temerario fusè AMVSSIS lib. 2. c. 7.

S. MICHAEL.

Millia millium ministrabant ei, & decies, centena millia assistebāt ei. Dan. 7. De SS. Angelorū natura & numero HOROLOGIVM Hora 4. Noctis. Qua vero ratione pingantur SS. Angeli, Hora 5 Noctis fusius explicatur.

Factum est silentium in cælo. Apoc. 8. De cantu & officijs SS. Angelorum HOROLOGIVM Hora 6 Noctis.

Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cælis est. Matth. 18. De cultu & veneratione SS. An-

SS. Angelorum, idem HOROLOGIVM Hora 12. Noctis.

SS. SIMON & IVDAS.

Nunc autem excusationem non habet de peccato suo. Ioan. 15. Mala Intentio nequitiarum omnium mater, omnibus sese actionibus nouit insinuare, & hæc hominis conscientiam facit inexcusabilem. Vide AMVSSIM lib. 11. c. 11. vbi fusè malæ Intentionis varietas ostenditur. Et li. 2. cap. 11. exhortationis pars illa, ad omnis ordinis homines huc faciet stabiliendæ Intẽtioni rectæ, quæ nunquam satis poterit inculcari.

Nunc autem & viderunt & oderunt, & me, & Patrem meum. Ioan. ibid. Tria sunt quæ illam humanæ voluntatis contumaciam alunt, Nimirum praua Consuetudo, Longanimitatis defectus, & Mutabilitas perpetua, de his HELIOTROPIVM lib. 4. c. 5.

OMNES SANCTI & SANCTÆ DEI.

Beati pauperes, beati mites, beati qui lugent. Matth. 5. Paupertate, Mansuetudine, Fletu obtinetur beatorum Æternitas. ÆTERNITAS Consid. 3 §. 2.

Merces vestra copiosa est in cælis. Matth. ibid. Cultus & veneratio Sanctorũ asseritur in TRISMEGISTO lib. 2. c. 1 & 2.

S. MARTINVS.

Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuũ lucidum erit. Luc. 11. Dicendum contra oculos vagos, curiosos, emissitios, impudicos, NICETAS lib. 1. c. 7.

Si ocu-

Si oculus tuus fuerit ſimplex. Recta Intentio hic ſimplex oculus eſſe dicitur à Sanctis Patribus, qui diuinas litteras interpretantur. Atque hic oculus ad omnes actiones noſtras illuſtrandas ſummè neceſſarius eſt. AMVSSIS lib. 1. cap. 3. & 4.

S. CATHARINA.

Exierunt obuiam ſponſo & ſponſæ. Matth. 25. De conformatione humanæ voluntatis ad diuinam breuiter quid tradit HOROLOGIVM Hora 9. Diei, vbi etiam aliquid de Caſtitate. Vberior laus Caſtitatis in Niceta lib. 2. c 12. §. ſeu C. 9. & vltimo.

Et quæ parata erant, intrauerunt cum eo ad nuptias. Nihil in Orbe melius, quam ad omnem nutum diuini arbitrij ſemper paratum eſſe. Hæc enim Conformatio humanæ voluntatis ad diuinam, cælum eſt extra cælum, & vera vitæ beatitudo. HELIOTROPIVM lib. 3. cap. 6.

FINIS.